Enc.
159

Enc. 159.

~~Hist. lit. Nobil. libr. 87. 350.~~

Digitized by Google

DAN. GEORGII MORHOFII,
DE
LEGENDIS, IMITANDIS
ET
EXCERPENDIS
AUCTORIBUS,
LIBELLUS POSTHUMUS,

QUEM

IN SUPPLEMENTUM POLYHISTORIS

MORHOFIANI,

EX ACCURATO QUODAM MANUSCRIPTO

LUCI NUNC PRIMUM TRADIT,


JOH. PETR. KOHLIUS, P.P.

HAMBURGI,
Apud CHRISTIAN WILHELM BRANDT.
1731.

Digitized by Google


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google



Præfatio

Novum hic tibi librum trado, Amice Lector, in lucem e tenebris a me protractum, exiguum illum quidem, sed a magni ingenii Viro, Polyhistore ac Professore quondam Kiloniensi celeberrimo, literis consignatum, nec minori, ut videbis, elegantia, quam utilitate commendabilem. Exponit enim illa, quæ in feliciter assequenda bene dicendi arte, plane admirabili, tamqve paucis ætate hac nostra contingenti, proram quod ajunt, puppemqve constituunt, facemqve iis præfert, quibus in hac arte consilium est excellere. Legendis namque melioris notæ auctoribus, iisdemqve dextre imitandis, seduloqve excerpendis, eloquentia demum omnis comparatur. Unica propemodum hæc discendi ratio, unica hæc via est, qua, ut ad eruditionem omnem, ita ad eximiam illam eloquendi facultatem, facillimo gradu pervenitur. Hinc sedulo instituta optimorum auctorum lectioni, accurataque

interpretationi tantum tribuit Rollinus, *Rhetor eloquentiæq; magister apud Gallos hodie celeberrimus, ut in libro Gallice conscripto, cui index est*, La Maniere d'enseigner & d'etudier les belles lettres (*) *his eam verbis commendet; I'ai deja, inquit, remarqué en l'eloquence, que cette Partie etoit une des plus essentielles, & qu'on pouvoit dire en un sens, qu'elle renformoit toutes les autres. Multum autem interest, Amice Lector, quomodo quove ordine hæc a te lectio instituatur, quæ non tumultuaria, non præpostera, non indiligens, aut superficiaria, sed quam maxime ordinata, rite disposita, atque accurata esse debet. Recte propterea, in epistolis suis, monens* Seneca, Vide, *inquit*, ne lectio illa multorum librorum & omnis generis voluminum habeat aliquid instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat; nusquam enim est qui ubique est &c. *Nec parum in eo situm existimes, quales cujusque generis auctores legas; ne vel dictio, vel legentis etiam animus sordium quidquam trahat.* (**) *Tales enim plerumque reddimur, quales auctores sunt, quos quotidie evolvimus*

[*] Edit. Paris. anni 1728. Tom. II. Cap. III. de la Lecture & de l'Explication des auters. p. 74.

[**] Quæ verba *Saldeni* sunt in tractatu de libris.

vimus ac tractamus. Neque enim tam facile ciborum natura in corpus transit , quam lectio in animum moresque legentium commutatur. Ut verissima illa sint Theognidis.

Εσθλῶν μεν γαρ ἀπ' ἐσθλα μαθησεαι ἢν δε κακοῖς
Συμμιχθῃς, ἀπολεις καὶ τον ἐουσα νοόν.

Lectionem comitetur oportet Imitatio, seu studium, auctoris stilum, ejusqve ideam sine plagii suspicione exprimendi. (****) Vix autem utrumq;, Lectio scilicet & Imitatio, feliciter succedet, nisi tertio denique loco sedula prudensqve, optima quæque excerpendi industria adjungatur. Eximia quidem *(ut clarissimi Saldeni verbis utar)* humanæ memoriæ vis est, penetrale amplum, sed haud infinita tamen. Certos enim limites habet & fines , ultra quos progredi sæpe non datur. Diversarum in ea rerum imagines certis quasi cellulis reponuntur, qvibus nisi custodes addas , qvi sollicite servent iis recepta, & recondita, nullo negotio effringent sæpe & aufugient, atque ita omnis lectio-

 nis

[***] Hanc imitationis circumscriptionem dat non minus veram quam concinnam Celeberr. *Heineccius* in libro de Fundamentis stili, eo, ubi de imitatione agit, capite,

Digitized by Google

nis peribit fructus. Ergo occurrendum imbecillitati. &c. *Huic excerpendi studio non multum temporis se dedisse* Morhofius *ipse non dissimulat Lib. III. Polyh. Cap. I. sic scribens* : Ego certe excerptis congerendis non multum operæ me impendisse fateor, etsi aliorum diligentiam laudo, meæque in his negligentiæ succenseo, magno tamen in lucro reputaturus, si aliorum mihi opera uti concessum fuerit : *nihilo secius tam apte, luculenter, ac perspicue in hoc libro laudatam hanc excerpendi, ut & imitandi auctores eosque excerpendi artem, quatenus ad Oratoriam Rhetoricamque illa spectat, tradit, ut, ab omnibus ad germanæ eloquentiæ laudem adspirantibus, non sine eximio fructu quodam legi inque consilium adhiberi queat. Infinitus propemodum fateor, eorum numerus est, qui quomodo legendum, quomodo sit imitandum & excerpendum, studiose docteque præceperunt. Generatim alii de lectione librorum, ut* Guilielmus Saldenus *in elegantissimo suo de libris Commentario,* Thomas Bartholinus *de libris legendis,* Franciscus Sacchini, *Iesuita Italus, de ratione libros cum profectu legendi;* Jo. Frider. Hodannus *in Dissertatione de libris legendis.* Amandus Polanus a Polansdorff, *in tractatu de ratione legendi cum fructu auctores, inprimis Sacros. Alii speciatim vel de cauta librorum lectione, ut* Jo. Guiliel. Bergerus,

in

Digitized by Google

in peculiari dissertatione quadam, Jo. Bapt. Crispus *de Ethnicis Philosophis caute legendis (Rom. 1594. fol.) vel de desultoria variorum auctorum lectione, ut* Rol. Maresius *in certa quadam epistola, vel de Romanæ Historiæ scriptoribus legendis, ut Carolus* Sigonius, *vel de lectione sacri codicis, ut* Heervvartus, Franckius, Pritius, *aliique multi; vel de lectione librorum gentilium, ut* Jo. Christoph. Otto, *in disputatione de gentilium auctorum lectione & usu,* Claudius Espencæus *de profectu e gentilium librorum lectione percipiendo aliique, quos Vir πολυμαθέστατος* Jo. Christoph. Krüsike, *nuper in Vindemiarum Litterariarum Specimine II. Cap. III. pag. 30. sqq.* erudito indice exposuit, *vel de lectione auctorum Classicorum, quo ordine illa quave methodo instituenda sit, egerunt. Postremis annumerandus Morhofii hic libellus est; qvi tamen inter omnes, præceptorum brevitate, nitore stili, concinnitate ordinis, judicii acrimonia, sermonisqve perspicuitate præcipue se commendat: ad minimum iis auctoribus, qvi vel superiori ævo, vel hac nostra ætate, materiam hanc de industria, nec infeliciter pertractarunt, ut celeberrimus* Tanaquillus Faber, *in libro Gallice conscripto Salmurique 1672. edito: sub tit: Methode pour commencer les humanités Greques & Latines, doctissimus item* Io. Gottl. Heineccius *in libro satis noto, quem stili cultioris fundamenta vocat, cujus in Parte III. Cap. I. & seq. de auctorum lectione & imitatione*

 agit

agit, quique non postremus est, cariss. Joa. Nicolaus Funccius, *in eo quem ante annum & quod excurrit, Lemgoviæ typis exscribendum curavit, libro,* de Lectione Auctorum Classicorum, *paulo licet, quam opus erat, prolixiori, utilissimo tamen neutiquam postponendus. At esse posthumum hoc scriptum inquies, nec eo habitu circumpositum, quo auctor fortasse ipse superstes induisset. Consilium hoc fateor edendi meum initio non modo retardavit, sed propemodum intervertit: non id ideo, quasi vel luce publica, vel tuo, amice Lector, conspectu minus dignum eum judicarem, sed quod ab auctore jam ferme moriente, ut nuperrime etiam Vir quidam celeberrimus per literas mihi nunciavit, probibitum esse scirem, ne quid eorum, quæ in literas ipse retulisset, at extrema, per mortem impeditus, lima non donasset, post mortem ederetur. Nec contra ego, quam celeberrimus Vir e vita decedens voluit, fecissem, nisi ejusmodi esse hoc scriptum deprehenderem, ut non omnium tantum conspectum sed & ætatem ipsam ferre posse videatur. Communi deinde omnium utilitati consulendum potius, ut* Claudiani *illa monent,*

Consule cunctis.

Non tibi: nec tua te moveant sed publica vota.

quam privato cujusquam studio, ac voluntati obsequendum, Celeberrimique illius Jurisconsulti, Andreæ Hyperii *exemplum imitandum existimo, qui* Justo Vultejo *alicubi testante, ideo post mortem tandem sua prodire scripta voluit,*

luit, ne aliquam sibi gloriam plausumque vulgi vivus captare velle videretur. Fuerint enim nonnulla in hoc opusculo, omnibus adeo numeris non absoluta, supplenda aliqua, non pauca denique accuratius recognoscenda: non rejiciendum propterea, ut opinor, perpetuisque devovendum tenebris, sed suo quoque in pretio habendum, sicque cogitandum est, Viro occupatissimo, cui Vivere, Ciceronis verbo, Cogitare, *(de literis & scientiarum accessionibus) fuisse novimus, facile quædam, extemporalibus præsertim operis, cum partim ex scripto, partim ex memoria (videatur Præfatio Morhofiana in Polyhystorem) Auditoribus meditata in calamum dictaret, excidere potuisse (id quod in omnibus ejus ingenii posthumis, apud æquos rerum judices valiturum speramus) quæ posterioribus cogitatis emendaturus, ut ipse promiserat, fuisset. Misera plerumque fateor ac pertenuis librorum æque, auctoris post mortem in lucem prodeuntium, quam liberorum immatura ætate parentes amittentium est conditio: quorum illos sæpenumero minime elaboratos, sed valde rudes ac impolitos, innumerisque defectibus laborantes, hos parum feliciter educatos, vestitu sordidos, moribus agrestes, omnibusque vitiis squalidos ac contaminatos, in lucem publicumque vitæ hujus theatrum prodeuntes videmus. Hujusmodi qui non premunt tantum sed & supprimunt luce publica indigna, suisque auctoribus turpitudini cessura scripta, non minus circumspecte, ac providenter, ut nos qui-*

dem judicamus, agunt, qvam impingere illi videntur, qvi nihil in lucem emitti, nisi quod gloriam & famam mortuorum immensum qvantum augeat, & amplificet, volunt. (****) *At non eadem omnium, quæ posthuma dicuntur, scriptorum ratio, non idem de omnibus ferendum est judicium. Alia sunt plane rudia, imperfecta, nullamqve limam experta, alia ejusmodi ut non perfectissima licet omnibusqve numeris absoluta, cum industria tamen curaqve sint confecta; eoqve consilio mandata literis, ut si non omnium, plurimorum tamen, ab auctoris præsertim ore pendentium inserviant utilitati. Hujusce postremi generis sunt Collegia, quæ vocant Academica: subito licet plerumqve vel in literas conjecta, vel in calamum dictata auditoribus, non sine meditatione tamen, cum plurimorum in conspectum veniant, multoqve studio composita. Præsens certe, qvod* cum accurato quodam Clarissimi Christiani, Rectoris quondam Tönningensis *in Holsatia bene meriti* dignissimiqve Morhofii auditoris autographo, *typis nunc fideliter collatum evulgamus, ut celeberrimi Morhofii nostri omnia, Doctissimi auctoris suî industriam haud vulgarem, admirabilem doctrinam, inqve præceptis eloquentiæ tradendis dexteritatem summam aperte satis*

lo-

[****] Vid. Petri Burmanni præfat. Collectioni Epistolarum, quam Syllogen inscribit, Tom. V. & ultimo præmissam.

Digitized by Google

loquitur. In tanto igitur librorum quotidie fere in lucem exeuntium, plane inutilium ineptorumque numero, qvis tandem vitio nobis vertet, si, post tam multà alia Morhofio *fatis functo ab eruditis passim prolata scripta,* Delicias *nempe* Oratorias *non semel typis traditas,* Doctrinam *item de* argutiis, Collegium Epistolicum *ut & de pura dictione librum, ante aliqvot annos a Celeberrimo* Moshemio *typis datum, utilissimam hanc qvoqve, multisqve doctrinæ Criticæ àc Literariæ flosculis conspersam, multaqve elegantia, nec minori ἀκρίβεια ac judicio confectam commentatiunculam, bis præsertim, nimirum anno* 1675. *publice, anno* 1685. *privatim ab Auctore prælectam in publicum proferamus? cum præsertim Polyhistori ejus, qvem Celeberrimus, omniq; laude major* FABRICIUS, *Amicus ac Fautor noster eximie Venerandus,* Polyhistor *ipse auctiorem ornatioremque nunc emittit, supplemento non plane nulli esse queat. Neqve enim ea quæ in Polyhistore typis jam vulgata extant denuo hic repetuntur, sed singula, qvæ hic occurrunt, sive auctorum latinorum in certas classes divisionem, sive varios dicendi characteres, sive prolata de latinis auctoribus judicia, sive deniqve illa, qvæ vel ad imitationem, vel excerpendi artem referuntur, spectes, in Polyhistore omnino non leguntur, sic, ut, qvæ in recentissima Polyhistoris editione lib. IV. Cap. XI.*

&

& XII. de linguæ latinæ auctoribus reperiuntur tradita, diverso plane ordine digesta, alio habita induta hic compareant, hæcqve potius, qvam illa Morhofium auctorem habere videantur. Mentionem qvidem Collegii hujus manuscripti facit in Prolegomenis Polyhistoris, a se adornati clarissimus Möllerus, *p. 62. sub hoc titulo,* Lectiones Methodico-Practicæ, de legendis, imitandis & excerpendis linguæ latinæ auctoribus: *in manibus tamen minime illud habuisse, declarant illa, qvæ p. 63. in fine recensionis scriptorum Morhofii ineditorum subjungit.*

Interea his quæso utere, amice Lector, hæcq; imposterum, si ad palatum tuum hæ dapes fuerint, collegia Morhofii, *qvæ sic satis accurate scripta, cumque aliis exemplis studiose collata possidemus, exspecta. nimirum*

I. Collegium de periodo, a Clarissimo Möllero, *sub hoc titulo recensitum. Periodologia, sive Tr. de Periodo Oratoria & Poetica, quem publicis anno* 1686 *&* 1687. *lectionibus proposuit, cujusqve editionem Heredes in Catologis Nundinalibus, Vernali A.* 1694. *p.* 13. *& A.* 1696. *p.* 40. *expectari a se jusserunt.*

II. Prælectiones Oratoriæ, sive Manuductio ad artem Oratoriam, 254 *scriptis paginis constans, annoqve post Nat. Chr.* 1669. *publice ab auctore prælectum, qvod quidem ab eo, qvod laudatus* Möllerus *sub indice Collegii Oratorio Theoretico-Practici citat, minime diversum esse conjicimus.*

III.

Digitized by Google

Corrigenda.

Ut alia Typographi incuria intrusa menda taceamus, a prudenti facile lectore corrigenda: pro Nic. Baxio, aliquoties Baccius, a pag. it. 81. & sequent. in superiori paginæ parte De *legendis auctoribus*, pro *excerpendis* male positum invenies.

Digitized by Google

Digitized by Google

III. Collegium Pathologicum, a clariss. Möllero *sub hoc titulo memoratum. p.* 63. *Pathologia Oratoria XVI. Capitibus comprehensa & A.* 1676. *Auditoribus dictata publicis, cujus editionem Ao.* 1683. *in programmate ad Lect. Acroamat. invitatorio promisit. Hujus Contenta quæ sint ut scias Lector, singulorum ecce Capitum indiculum. Caput I. agit de necessitate atque utilitate Pathologiæ. II. De eo qvod apud auctores veteres & recentiores in doctrina Pathologica scriptum est, & quomodo ea uti in oratione possimus. III. De Affectibus eorumqve ordine & numero. IV. De admiratione. V. De Amore & odio. VI. De affectu cupiditatis. VII. De affectu spei & metus. VIII. De fluctuatione animi. IX. De affectu Animositatis & Pusillanimitatis. X. De affectu Gaudii & Doloris. XI. De Invidia. XII. De Misericordia & Commiseratione. XIII. De Favore & Gratitudine. XIV. De affectu gloriæ & Doloris. XV. De Poenitentia, Desiderio, Fastidio, Hilaritate, Acquiescentia.*

IV. Collegium eloquentiæ civilis, De qvo ita Möllerus. *p.* 63. *Manuductio ad Eloquentiam Civilem, sive Orator, & Præceptis & Exemplis perpetuis lectissimisqve adornatus, cujus spem fecit A.* 1683. *in progr. Invit. ad Lect. Acroamat,* 96. *paginis scriptis constans.*

V. Tra-

Digitized by Google

V. Tractatus de Germanorum in rem literariam meritis, multis numeris perfectior, atque ex autographo Auctoris mirum quantum locupletatus, præter cæteros omnes dignus, qui luce publica fruatur.

Quod reliquum est, monitum te velim, Lector, observationibus, quibus in supplementum eorum quæ de editionibus auctorum melioribus a Morhofio *sunt allata, instrui ac illustrari præsens libellus potuisset, de industria nos supersedisse, cum facillimo negotio hæc omnia e Celeberrimi* Fabricii *nostri Bibliotheca Latina peti queant. Vale.*

Scrib. Hamb. 1731. d. 13. Jun.

EXIMIÆ EXPECTATIONIS ET APPRIME

NOBILIBUS ADOLESCENTIBUS,

BARTHOLDO HENRICO BROCKES,

ET

JOANNI BERNHARDO BROCKES,

CELEBERRIMI HAMBURGENSIS GYMNASII NON PRIDEM ALUMNIS,

INGENIIS, MORUMQUE CULTU FLORENTISSIMIS

S. P. D.

EDITOR.

Si

Digitized by Google

Digitized by Google



i verum eſt, quod tritum Græcorum illud, φιλομαθὴς πολυμαθὴς, non minus, quam experientia ipſa comprobat; qui diſcere multa ſcireque cupit, multarum eum rerum ſcientiam ſibi comparare: Vos ſine dubio, Adoleſcentes Humaniſſimi, nulla non liberali, Patriæque fructuoſa doctrina aliquando perpolitos fore, non tam auguror, quam certiſſime jam proſpicio. Namque perbrevi illo

tem-

Digitized by Google

tempore, quo ſtudiis veſtris, a Viro plurimum Reverendo, ac Doctiſſimo, Miniſtro Sacrorum Oxenwærderano Dexterrimo ac Meritiſſimo Dom: P. L. SCRIBA egregie jam tum provectis, præeſſe me voluit Illuſtris Parens Veſter, tanta Vos diſcendi cupiditate, incenſos, tantopere ad virtutem, omniumque præclariſſimarum rerum ſtudium inflammatos vidi, perpaucos ut in hoc pares habeatis, ſuperiorem, quod ſciam, neminem. Quæ quidem navitas, induſtria, & aſſidui-

duitas Veſtra, cum & ingeniis, ad præclara quæque natis adjuvetur, & Pietatem in DEum, Parentes, Doctores, una cum omnis generis virtute, ſuavisſimisque moribus conjuncta habeat: quid non egregium ac ſingulare ex eo, Divina proſperante gratia, exiturum ſperemus & auguremur? præſertim, cum propitius Veſter Parens, non amplisſimi tantum Senatus Hamburgenſis, ſed etiam totius Civitatis, atque adeo orbis eruditi Decus, Germaniæ noſtræ

lumen,

Digitized by Google

lumen, Delicium Musarum, Principum Virorum Amor, Literarum Præsidium, æternumque splendidissimæ gentis Vestræ ornamentum, ut animo pro Reipublicæ salute communibusque commodis excubat, ita magnam curarum & vigilantiæ partem in vestra institutione fixam & locatam habet. Quare non dubitans, publicam institutionem, ad dextre formanda ingenia vel solam sufficere, vel certe cum privata conjungi, magnoque Christianæ

rei-


Digitized by Google

reipublicæ emolumento modis omnibus ali fovérique & ornari oportere: celeberrimis incluti Joannei Gymnasii Professoribus in disciplinam vos tradidit & commendavit. In quo cum latinitatis & Eloquentiæ studium, literatis hominibus, qui suis ingenii monumentis extraneis quoque prodesse volunt, in vita non deponendum, strenue persequendum habeatis: typis expressum hoc τοῦ πάνυ MORHOFII nostri schediasma vobis inscribere & dedicare nullus dubitavi; tum quod hujusmodi

di deliciis delectari vos novi, tum etiam ut vestri in me amoris studiique, & mei in vos mutui, documentum aliquod extaret.

Valete candidissima Pectora, ingenia cultissima! mihique eum, quo semper adhuc in me fuistis, animum conservantes: ut conceptam de vobis spem atque exspectationem, non expleatis tantum, sed etiam, quæ vestra est virtus & constantia, Divino præsidio fulti, superetis, contendite! Scribebam, Hamburgi Anno MDCCXXXI.

Digitized by Google



PARS PRIMA.

DE LEGENDIS AUCTORIBUS.

CAP. I.

§. 1.

Cum potiſſima eruditionis pars in Latinorum Auctorum cognitione & uſu conſiſtat; in iis autem legendis non recto conſilio omnes verſentur: manuductione noſtra viam illam regiam, & quomodo ipſo uſu & exercitio frequentanda ſit, oſtendemus.

§. 2.

Circa Auctores itaque latinos veteres verſabimur, quatenus ſcilicet ex iis & ſermonis cultura inſtitui, & rerum notitia haberi, ideoque unâ eâdemque opera &

Digitized by Google

eloquentiæ & doctrinæ usus comparari possit.

§. 3.

Triplici ratione in toto hoc negotio nobis versandum erit. Primum enim nosse debemus, quomodo legendi Auctores; deinde quomodo ex iis excerpendum: postremo qua ratione per imitationem ad usum transferendum. Prima pars Auctorum notitiam subministrat: secunda media ad usum proponit; tertia usum ipsum. Prima pars quasi sylvam aliquam ostendit: altera quomodo ex illa sylva habilia ligna comportanda: tertia quomodo inde opus exstruendum.

§. 4.

Ad notitiam Auctorum Latinorum parandam multa concurrunt. Ita enim nosse debemus illos, ut & discernere possimus, & cum judicio in illis versari. Dispesci autem Auctores Latini possunt, 1) *Ratione Latinitatis.* 2.) *Ratione usus in disciplinis Theoreticis & practicis.*

§. 5.

Quando Auctores ratione Latinitatis consideramus: seponimus tantisper, quæ ad usum in disciplinis spectant: sermonis enim cura rebus ipsis præmittenda est: atque ubi illius lineamenta duxerimus; ita res tractandæ sunt, ut verborum & elo-

quen-

Digitized by Google

quentiæ cura ſimul ſuſcipiatur; quæ ad perfectionem orationis latinæ, quam pro ſcopo nobis proponimus, ambo jungenda ſunt.

§. 6.

Lectio non debet eſſe tumultuaria. nihil enim magis ad ſtyli nitorem obeſt. ſed maxime illa ſecundum varias ſuas partes ordinanda. non enim vel diverſarum ætatum vel diverſorum characterum auctores miſcendi. Ita nunquam obtinebitur illa in ſcribendo ἀφέλεια (ſimplicitas), ſemperque aliquæ ſordes, vel ſaltem aliqua peregrinitas & ἀσυμμετρία (inæqualitas) in ſtylo hærebit; quod à prima juventute usque vitandum eſt: cum teneris mentibus altius illa impreſſa ſedeant, & ætatis ſucceſſu non facile corrigantur.

§. 7.

Diverſitas in Latinitate maxima eſt. alia ſcilicet eſt ratione ætatum. Nam illa, quam auream vocant, ſine controverſia omnium optima eſt, & præ ceteris omnibus ſectanda, ut ex ejus ſcriptoribus corpus eloquentiæ formemus. Quod qua in re conſiſtat poſtea dicemus. Præterea & certi characteres ſermonis ſunt, etiam in ipſa ætate aurea, unde & dignoſci latinitas debet: cum non omnes phraſes omni argumento conveniant, ſed ſermo interdum aliquid à typo materiæ & characteris trahat, quod

non omni civili orationi simplici & puræ conveniat. Qua in re summa requiritur & prælegentis & legentis cura ac attentio. Dici enim non potest quam ipsæ singulæ phrases, epitetha, nomina, verba, è sermonis charactere colorem aliquem sibi inducant. *Aliam formam habet sermo interruptus & familiaris, qualis in Dialogis: aliam illi ideam circumponit sermo comicus, facetus, & ad risum compositus: aliam Satyricus, panegyricus, & sic deinceps: in quibus non solum translata alia, sed tota etiam facies sermonis diversa est.* Nos illam primo considerabimus ratione ætatum.

CAP. II.

De Auctoribus Latinis secundum ætates distinctis.

§. I.

Quemadmodum omnium linguarum certæ quædam periodi sunt: ita & latinæ. Ut enim homo suis ætatibus constat, & unâ, quâ potissimum ingenio & robore viget: ita Respublica ut potentiâ, ita sapientia & eloquentia certos gradus ac incrementa habet. Ut vigor hominis summus

mus

mus tam ratione corporis quam imperii in quædam decennia: ita reipublicæ vigor ratione potentiæ & eloquentiæ in unam hominis ætatem compingitur. Ita Latina lingua præcipue circa Ciceronis tempora effloruit, neque ultra unam hominis ætatem duravit.

§. 2.

Solent vulgo quatuor ætates Latinæ linguæ conſtitui: aurea, argentea, ænea, & ferrea. quibus plumbeam ac luteam addit *SCIOPPIUS*. Convenientius eam ſecundum ætates diviſit *BORRICHIUS* in cogitationibus ſuis de Latina lingua. Nam ut in ætate hominis à ſumma perfectione non proceditur: ita nec in latina lingua. Ideoque infantia ac pueritia in *PACUVIO*, *ENNIO* ſimilibusque Auctoribus quærenda. Juventus in *PLAUTO*, ſed virilis & ſucciplena ætas in *CICERONE* & illis qui ipſi junguntur.

§. 3.

Poſtquam ad ſummam perfectionem pervenit latina lingua; concinnius illi imponuntur ætates à metallis. Ut enim aurum inter metalla præſtantisſimum, in omnibus partibus homogeneum & purisſimum corpus eſt; ita lingua illa Romana, quæ Ciceronis tempore floruit omnium optima; quæ ſuccedentibus temporibus ſemper degeneravit. In *argenteâ* quidem ali-

Digitized by Google

quid labis contraxit: sed tamen ab *aurea* ætate, in cujus confinio posita, multum trahit. *Ænea* & vocibus & phrasibus plus æruginis habet, & translatis sonoris ac argutis plus tinnit. *Ferrea* rubiginosa tota est. *plumbea* tota in luto hæret.

§. 4.

In prima ætate, quæ primum imbuitur latinis literis, non concedatur ulli ex ænea aut ferrea ætate Auctori locus: ne sermo statim in ipsis primordiis, ut Cantherius in porta, titubet. Formandus tamen erit sermo πεφυκὼς καὶ πεπλασμένος: simplex & elaboratus. πεφυκὼς est in Dialogo & narratione simplici: πεπλασμένος in orationibus, epistolis & historia. Ad utramque orationis formam mature manuduci debet tyro; simplex sermo præmittendus est elaborato, ideoque a Dialogis & brevibus narratiunculis initium est faciendum. Non habemus istius commatis scriptores in ætate aurea pro juventutis usu, nisi vel *CORDERI* aut *PONTANI* colloquia aut *COMENII* januam & similia in defectu illorum substituamus. Verum non sunt temere recentioris ætatis scripta in exemplum admittenda. Facile enim ex illis aliquid sordium hæret. etsi *CORDERI* colloquia non sunt omnino pro pueris contemnenda. In usum tamen dialogisticum proponendæ *TERENTII* comœdiæ; pro narrationum exem-

exemplis inſerviant fabulæ *PHOEDRI*: in hiſtorico ſtylo *JUL. CÆSAR* & *CORN. NEPOS* primum proponendi. Qui auctores quamquam plura in receſſu habeant, quam quæ capere poſſit prima ætas, inprimis *TERENTIUS*, *NEPOS* ac *CÆSAR*; & ſermo in illis ſuo quoque modo πεπλασμένος ſit: tamen defectu ſimpliciorum ex illis, à prudente magiſtro pueris inculcandum eſt, quantum ad ſermonis ſtructuram pertinet, & continuis imitationibus, quæ magis ad puerilem captum ſunt, planum faciendum: reliqua adultiori ætati reſervanda. πεπλασμένος ſermo ille qui ſimplicior eſt, in minoribus Ciceronis epiſtolis primum formandus: ut paulatim tyro adſueſcat ordinatiori periodo, & numeroſæ ac copioſæ dictioni, quo quaſi fundamentum aliquod toroſæ & maſculæ orationi ſubſternitur.

§. 5.

Summus itaque & ὁ πάνυ in aurea ætate *CICERO* eſt, qui primus è Romanis illum ſermonem vere πεπλασμένον, & ad Græcorum artificia elaboratam orationem formavit. Ejus orationi quaſi per gradus adſueſcere debemus. Primum, ut dixi, minutiores epiſtolæ de rebus domeſticis & quotidianis legendæ ſunt, quas collegit *STURMIUS*: tum quæ magis elaboratæ ſunt, & in aliquo cauſarum genere verſantur,

Digitized by Google

quales *MELCHIOR JUNIUS* ſub certis claſſibus collegit: poſtea majores illæ orationes legendæ ſunt, & attento ad omnes partes & omnia membra, eorumque connexiones animo expendendæ. In iis tamen etiam a facilioribus ad difficiliores progreſſus inſtituendus eſt. Inter primas ſunt oratio *Pro Archia*, *Pro Lege Manilia*, *Poſt reditum ad Quirites*, & ſimiles, quas uno volumine collegit *CELLARIUS* cum brevibus annotationibus; reliquæ orationes, quæ in judiciali genere verſantur, & contentioſum orationis genus, ac vehementiorem typum exprimunt, majori ætati reſervandæ. Prolixiores quidem annotationes in *CICERONIS* orationes ſcriptæ ſunt, quas è variis Auctoribus uno volumine collectas, & ſub titulo *Bibliotheca commentariorum in orationes Ciceronis* editas habemus. In his artificium orationis oſtenditur, & Præceptori illæ potius, quam diſcipulo uſurpandæ. Quibus addi poteſt Doctisſimi *NICOLAI ABRAHAMI* Commentarius in pleraſque orationes Ciceronis, quibus philologica & hiſtorica uberrime explicantur. Neque ad artificium Rhetoricum omitti debet *MARTINUS CYGNE* in analyſi orationum Ciceronis. Ad epiſtolarum interpretationem & analyſin *STEPHANI RICII* notulæ tribus tomis collectæ non ſunt ſpernendæ: faciunt enim ad planum verborum ſenſum, & ad captum tyro-

tyronum ſe accommodant, germanica latinis miſcendo, & hiſtorica epiſtolarum illuſtrando. Artificii oratorii in illis ſpecimina quædam ad methodum *SCHRADERIANAM* laudabili conatu oſtendit *PAPENIUS*, ConRector ſcholæ Brunſvicenſis. Majores illi Commentarii, quos è variis collegit Clarisſimus *GRÆVIUS*, eloquentiæ ſtudium morantur, neque tam diſcipulis quam præceptoribus pro textus illuſtratione adhibendæ ſunt. Rhetorica Ciceroniana orationibus ipſis jungi poſſunt. Etſi enim compendia ordinatiora & breviora videntur, neque negligenda: tamen illa *Ciceronis* præcepta & uberiora & majori apparatu ſcripta, una cum ipſis præceptis typum aliquem familiaris eloquentiæ ob oculos ponunt. Plus enim Artificis manus & penicillus informant, quam hominis inexercitati jejuna & aliunde ſumta præcepta. quæ tamen ſi medioctiter formata oratio eſt, ex iis fontibus, unde *Cicero* hauſit, *Ariſtotele* ſcilicet, reliquisque Græcis Rhetoribus depromi poſſunt. Philoſophica *Ciceronis* tum legenda, cum accreſcente judicio rerum cognitione paulatim imbuendus eſt animus: ita eveniet, ut non nuda tantum & ſtrigoſa philoſophiæ præcepta, ſed flore elegantis orationis veſtita animo inſideant: & cum ad eloquentiam rerum apparatus requiritur (ut fete ſemper) ea omnia lecta, velut loci

Digitized by Google

quidam communes animo obverſentur, & identidem recurrant. quo conſilio etiam *Freigius* in Ciceroniano ſuo Philoſophiam omnem Theoreticam & Practicam ſub certis rerum claſſibus & titulis, puris *Ciceronis* verbis delineavit, quæ magno uſui futura ſunt in ipſius orationis elaboratione, quæ ſemper in Loco aliquo communi philoſophico vel verſatur vel ad illum tendit, aut ex eo aliquid ad rem probandam aſſumit, amplificat, illuſtrat. Epiſtolæ ad Atticum plane non habent ſermonem πεπλασμένον: ſine enim artificio periodico pleræque ſcriptæ ſunt, ut ſolet in familiari ſermone ſine ulla menſura incedere oratio, niſi quam fortasſis caſus & fortuna largitur: ideoque non legendæ illæ niſi jam tum maturo judicio, cum & ipſa rerum obſcuritas remoretur Lectorem.

§. 6.

TERENTIUS purisſimæ latinitatis ſcriptor probe in ſuccum ſanguinemque vertendus, perpetuis ex eo imitationibus propoſitis. Proprietas vocum in illo mira eſt, phraſium nitor & puritas. Non ſpernendus eſt *Stephani Riccii* ad illum Commentarius. nam Critici illi, quos magno numero habemus, commentatores plus pompæ habent, quam primæ ætati convenit: cujus unicum eſſe debet, circa proprietatem vocum, & phraſium & membrorum juncturam

ram

ram negotium. ubi tamen corrupta exemplaria negotium facessunt. quare consuli à Præceptoribus commentatores illi possunt. Sufficere hic mea quidem sententia *Bœcleri* editio posset, ejusque adjungi χρηςομαθία, neque omnino index contemnendus est *Kockerti*, qui primæ ætati utilior esse potest. Majores illi commentarii Præceptoribus potius quam discipulis legendi: paraphrases tamen illæ quæ habentur in Gallicis editionibus, in gratiam Delphini adornatis, alicujus usus: ceteræ enim notæ ex aliis plurimum descriptæ.

§. 7.

PHOEDRUS in fabulis plus nitoris Romani habet, quam aliquibus creditur, de cujus nos stylo plenius egimus libro de Patavinit. Liviana c. 10. Hæ prima ætate ita legendæ, ut pene memoriæ mandari debeant. Habent enim prudentiam civilem reconditam, cujus semina una cum iis instillantur. Legendæ sunt illæ cum Commentario Clarissimi *Schefferi*, qui *Freinshemiana*, *Rigaltiana* aliorumque Auctorum notata simul etiam tetigit, & copiosum illum *Freinshemii* indicem suæ quoque editioni adjunxit. In usum quoque eorum, qui gallicam linguam latinæ jungunt, versionem gallicam nitidissimam Domini *de Saint Aubin* adjecit. Non quidem referendus est inter primos aureæ ætatis scriptores; (vixit enim circa extrema tempora Augusti; ob

quam

Digitized by Google

quam causam in argentea ætate à nonnullis reponitur; Trax quoque natione fuit, sed plus ille nitoris Romani habet, quam multi ejusdem ætatis scriptores. Optandum vero, ut ex illo omnia menda essent sublata.

§. 8.

CORNELII NEPOTIS liquidissima & purissima Latinitas, quæ ad historiæ corpus formandum præ ceteris commendanda est. Verba, phrases, junctura, connexio periodorum in narrationibus, quæ singularem curam requirit, hic sollicitè expendenda. Nam quasi medio modo inter Cæsarem & Livium se habet. *Livius* plenioris & majoris historiæ auctor est, eamque omni ornatu, quem in historia desiderabat Cicero (Libro III. de Oratore) & in Cæsare requirebat, expolivit. Periodus moderatior; neque oratoris more exardet dictio in concionibus, descriptionibus &c: quibus in brevi vitarum historia opus non erat. Liquidæ itaque simplicisque narrationis idea, quæ tamen aliquid ab oratorio cultu, sed non valde quæsito habet, ex illo delineari potest. Ne quid dicam de nitore urbanitatis admirabili. Editio *Bosiana* omnium optima est, cui index ille Bœclerianus â *Vorstio* & *Bosio* auctus jungitur.

§. 9.

JULII CÆSARIS Historia simplex est & nitida, ideoque quâ phraseologiam accensen-

Digitized by Google

censendus *Cornelio Nepoti* est; modo exemplaria satis essent emendata: de quo passim *Lipsius* aliique queruntur. sed puto illos morosiores esse interdum, quam est necesse: judicio tamen opus erit, ut abstineamus ab ejus imitatione in locis, quorum dubia lectio est, neque temere phrases usurpemus, circa quas exemplarium est dissensio. quæ perpetua debet esse observatio. Stulti enim sunt, qui voces rariores & phrases in ostentationem ridiculam usurpant. *rectius faciunt, qui τὰ ἅπαξ λεγόμενα, etiam cum non variant exemplaria, sed vel suspicio alicujus corruptionis esse possit, vel illa lectorem ut insolita offendant, velut scopulos fugiendos sibi existimant.* Nam vel ex eo patet vocis insolentia, si non communis usus; & ab aliis nitidè scribentibus non usurpetur. *Julii Cæsaris* editionem non adeo elimatam à Criticis habemus; omnium tamen optima *Jungermanniana* est, cui subjungi potest, quæ pleraque inde excerpit, *Arnoldi Montani*.

§. 10.

SALUSTIUS etsi in aurea ætate vixit & *Ciceroni* æqualis fuit: clasicis tamen & ordinariis lectionibus adhibendus non est, nec prima ætate, antequam certa styli lineamenta duxeris, legendus: affectator enim in vocibus & phrasi est, neque semper legibus historiæ satisfacit; aliquando obscurus

&

& brevis, aliquando plus quam opus eſt, prolixus, ut patet ex illa tædioſa conjurationis Catilinariæ præfatione, quæ gemino ab ovo hiſtoriam hanc orditur; multæ tamen ejus ſunt & laudandæ virtutes, ut qui *Thucididis* eſſe æmulator voluit. optima editio variarum eſt, quæ in Belgio prodiit.

§. 11.

PLAUTI Comœdiæ prima ætate non legendæ, niſi peritus præceptor judicii defectum ſuppleat. Eſt enim in Plauto latinæ linguæ penus: occurrunt omnium generum phraſes: propria earum & accurata uſurpatio eſt; niſi ubi ex comœdiæ lege ſermo fingitur. quæ probè diſcerni debent omnia. Diligentisſimus in illum commentator eſt *Taubmannus*. *Paræus*, qui Lexicon Plautinum, ſcripta & electa Plautina edidit, nugator eſt & ſedens aliena ad pabula fucus, ineptisſimus compilator. Plautina phraſi optime utetur, qui jam plurimum in ſtylo profecit.

§. 12.

LUCRETIUS, etſi purus ac Romanus ſcriptor, Quintiliano judice; non facit ad corpus eloquentiæ formandum. Sermo enim ejus neque civiliter neque poeticè πεπλασμένος, ſed quia argumento didactico ſe accommodat, format interdum voces & phraſes, quæ non niſi certa ratione

locum in civili oratione habent. Quicquid autem in illo vocum ac phrasium, extra argumenti necessitatem occurrit, non est ab usu etiam civili segregandum, modo ab obsoletis & poëtismis abstineamus. Ejus optimam editionem dedit *Obertus Giphanius* cum præstantissimo indice: unde Lexicon suum Lucretianum plagiarius Paræus compilavit.

§. 13.

TITUS LIVIUS Romanæ historiæ Princeps merito habetur. Dictio in illo pura satis est, quicquid Pollio cavilletur. Ornatus historiæ summus, quo nullus nec Nepos nec Cæsar aut quivis alius ipsi comparandus est. Conciones ejus gravioris & civilis eloquentiæ ideam repræsentant, unde ad exercitia oratoria præclara suppeditari argumenta possunt. Ad absolutum perfectæ historiæ exemplar unice commendari debet. Sero tamen ac maturiore ætate legendus est. nam præter stylum & historiam profunda civilis prudentiæ arcana hic latitant, quæ aureo plane libro detexit *Machiavellus*. Editio optima à *Gronovio* in Belgio procurata est, cujus perpetuæ in illum emendationes & notæ sunt. Ante aliquot annos in Gallia prodiit Livius quinque tomis in 4to à *Douiatio* editus, qui Gronoviana pleraque transtulit; adjecit supple-

menta

menta integra Freinshemiana, & indicem absolutissimum ejusdem Auctoris, ab heredibus Freinshemii redemta. De ceteris quæ ad Livium pertinent, vid. dissertatio nostra de Patavinitate Livianâ.

§. 14.

TERENTII VARRONIS de re rustica, & lingua latina commentarii, vel Criticis vel qui de quotidianis & rusticis rebus loquuntur, commendandi sunt. nam illa scripta ad eloquentiæ corpus formandum non adeo pertinent. hîc *Scaligeri* commentarii omne ferunt punctum.

§. 15.

CATULLUS, TIBULLUS, PROPERTIUS elegantissimi nequitiarum architecti. pleni enim rebus amorum sunt. ideoque delectus quidam ex istorum poematibus pro adolescentibus instituendus est. *Catullo* nil fieri tersius & elegantius potest. pleræque enim ejus phrases vel extra carmen & poëtismum in soluta oratione adhiberi possunt. Editiones eorum auctorum & junctim & seorsim publicatorum variæ. Uno fasciculo meliores commentarios collegit, suasque notas adjecit *Grævius*. In Catullum seorsim *Isaacus Vossius* commentarium doctissimum scripsit, diligentissimus rerum & phrasium venerearum interpres. In *Propertium* absolutissimum commentarium

edidit

edidit in folio *Passeratius* cum locupletissimo indice.

§. 16.

VIRGILIUS Poetarum Latinarum Phoenix, statim ex quo numeris & poemati adsuescat, tyroni legendus. Phrasis ejus extra poëtismum civilis etiam usus, dictio poetica purissima, & longa cura exasciata, cujus genium à soluta diversum jam tum nosse discat discipulus. ejus Eclogæ primum legendæ, in quas *Stephani Riccii* notulæ non contemnendæ. Georgica & libri Æneidos cum paraphrasi *Frischlini*, vel omnia ejus opera cum perpetua paraphrasi, *Caroli Ruei*, qui in usum Delphini edidit Virgilium, legi possunt: unde gemina utilitas proficiscitur; ut statim ante oculos habeatur styli poëtici & soluti differentia, qua in re sæpe peccari ab ipsis magistris solet. *Taubmanni* commentarius sufficere potest ad Auctoris intelligentiam. Qui artificia in illo poëtica ostenderit hactenus, nemo fuit: quæ sunt tamen maxima. Oratori quantum conveniat *Virgilius*, dici non potest τὸ ἠθικὸν & παθητικὸν omne absolvit hic punctum. *Erythræi* in illum index utilissimus est. Videantur *Rapini* observationes in poëmata *Homeri* & *Virgilii* è Gallico Latinè redditæ & Ultrajecti hoc anno editæ.

Digitized by Google

§. 17.

HORATIUS, Poëta tersissimus, ita Poeta est, ut non minor ejus usus in oratione soluta sit. Libri sermonum & epistolarum vel prima ætate pueris prælegendi; multa in illis ad vitam communem spectantia præcepta, & insignis urbanitatis character, ex acutis sententiosisque dictis efflorescens. e quibus ego multa ad verbum edisci vellem, quorum usus sponte se ingeret, ubi accreverit judicium. pleraque ex illis, si numerum demas, in oratione soluta usurpari possunt; quare *paraphrasis Lubini* utiliter cum illis conferri potest. & acuit præterea satyra mirifice ingenium. In odis plane se Poetam Lyricum præstat, qui vel Græcis ipsis palmam præripiat. argumenta pleraque moralia. quam ob caussam odæ insigniores memoriæ mandari possunt, & poetismo sublato in orationem solutam transferri, vel in aliud carminis genus commutari, quod pro stylo poetico formando commodum est exercitium. cujus illustria exempla sunt apud *Wallium in poematibus*, & *Carolum de la Ruë* in Idilliis. Earum artificium poeticum multa diligentia detexit *Bernhardinus Parthenius*. *Spielenbergius* in elegantissimo & rarissimo super illum Poetam commentario, in quo simul & Scaligeri censura super *Horatiana* loca, reten-

retunditur. Idem Auctor simili ratione artificium poeticum in *Virgilio* detegere voluit, verum non vidit lucem iste liber. Commentariorum in *Horatium* magna farrago est, quæ magis onerant legentes quam juvant. *Ad Satyras ego commendarem Rappoitum.* Ad epistolas *Claudii Minois* commentarium. In odis, ubi difficiliora loca sunt, consuli potest vel *Torrentius* vel *Lambinus*. satis plana alioquin omnia, & paraphrastico commentatore, vel *Minellio*, vel *Bondio* absolventur. *Chabocius* vasto libro multa inutilia congessit, & *Torrentium* pene totum exscripsit. *Tretteri index accuratissimus est*, quem *Avenarius* ad omnes editiones accommodavit.

§. 18.

OVIDIUS aureæ ætati accensendus omnino est, quicquid etiam morosulis nonnullis videatur, qui ab illo primo linguæ latinæ nitorem corruptum esse existimant. Sed contemnendi illi sunt cum hoc suo judicio, quos in dissertatione de *Patavinitate Liviana* p. 65. 155. 197. refutavi. Illud in eo unice reprehendendum videtur, quod copiosior & fœcundior videatur, quam est necesse, neque manum de tabula tollere sciat. Verum hoc ingenii ubertati adscribendum. in dictione ipsa nihil impuri. liquida omnia & sincera. In exornatione si modum exce-

dit: ſumamus ex illo cumulo, quantum eſt neceſſe, & ex fonte illo tantum derivemus, quantum fonticulus noſter capere poſſit. Id inprimis notandum eſt, Poetæ hujus carmina, quam optime cum ſoluta oratione commutari poſſe. Libri Triſtium primum juventuti ſunt legendi; pleni ſunt affectuum & elegantiſſimarum expreſſionum, ac omnis generis figurarum Rhetoricarum. Nullus Poeta felicius & copioſius exercet Oratoriam quam *Ovidius*, præſertim in libris Triſtium, & in epiſtolis *Heroidum*. Has Rapinus vocat florem elegantiæ Romanæ, obſervatione in *Homerum* & *Virgilium* pag. 77. In Faſtorum libris, quos ſenex ſcripſit, luxuries illa ætatis junioris jam eſt conſumta. Libri Metamorphoſeon, fabulas poeticas & Deorum ſeriem proponunt, in quibus mirabilis connexio eſt. legi debent ob notitiam fabularum poeticarum. ad poëma vero Epicum formandum unice commendandus eſt *Virgilius*. Nam *Ovidius* paulo eſt abjectior, neque cultum illum in poëmate Heroico attingit, qui in eo eſt neceſſarius. Legendus eſt *Ovidius* cum commentario *Nicolai Heinſii*, qui in illo emaculando ſummam diligentiam impendit. ejus commentarius editus eſt ſeorſim (in duodecimo) & cum notis variorum (in octavo) tribus tomis.

§. 19.

GRATIUS Poëta ſub Auguſto Octavio floruit

floruit, qui Cynegetica ſcripſit, non eſt contemnendus, neque adeo ob dictionem, quanquam & illa non ſit contemnenda, quam argumentum legendus, ubi nimirum vocum & phraſium venaticarum cognitione indigemus. ad dictionem poëticam formandam & omnem ejus ornatum cœteri ſufficiunt. In eum extat *Flitii* Commentarius (in 12.) qui paſſim in *Barthium*, hujus *Gratii* commentatorem, invehitur: quem poſtea ſingulari libello vindicavit *Matthæus Lagus*.

§. 20.

MANILIUM alii ad auream, alii ad argenteam ætatem retulere. ſub Auguſto tamen vixit. Ejus exemplo ad ſtilum poëticum formandum opus non eſt, cum habeamus meliores. Is enim in argumento didactico & Scholaſtico verſatur, quod à ſermonis nitore longius abeſt. Explicanda enim erat Aſtrologia, omnesque illi termini poetica dictione exprimendi, quorum uſus in ſermone poetico nullus eſt. ſiquidem illic non tam ad doctrinam, quam ad eloquentiæ ornatum reſpicitur. In illum extat *Joſephi Scaligeri* doctiſſimus commentarius, quem recudi fecit Argentorati *Bæclerus* cum *Iſmaëlis Bulialdi*, Aſtrologi clariſſimi, additionibus.

§. 21.

VITRUVIUS rei architectonicæ ſcriptor, aureæ licet ætatis: tamen ob argumentum multum plebeitatis habet. Artem enim docenti utendum erat artificum terminis familiaribus, quibus locus non eſt in eloquentia civili. Multum tamen confert ad Nomenclaturam Veteris linguæ latinæ; ut ex eo diſcamus voces & phraſes huic arti peculiares, quas apud alios ſcriptores non facile ivenimus. Ad eloquentiam parum inde adjumenti eſt, ſed rei Geometricæ quatenus in praxi conſiſtit, & illa antiquis cognita fuit, magna ex illo haberi poteſt notitia. Ideoque Mathematica diſcentibus autor ille impenſe proderit. Optima ejus editio Lugduni Bat. in folio prodiit cum commentario *Philandri* & *Bernardini Baldini* libro lexico de verborum Vitruvianorum ſignificationibus.

§. 22.

HYGINUS à Borrichio ad aureæ ætatis ſcriptores refertur, ut qui tempore Auguſti vixerit. *Schefferus* refert ad Antoninorum tempora, quod ſi verum eſt, ex aureæ ætatis ſerie deturbandus eſt. Libertus fuit. Scripſit fabulas aſtronomicas. Stylus aliquanto horridior eſt, & interdum pene σολοῖκος. quæ ratio tamen loquendi non

non adeo imputanda eſt corruptis exemplaribus, quam ipſi tempori quo ſcripſit. Fortaſſis etiam, ut fuit libertus, non adeo nitori linguæ ſtuduit. Defendit tamen has ejus locutiones adverſus illos qui ſuſpectas habent, *Thomas Munckerus*. Non eſt ejus adeo magnus uſus ad eloquentiam. Legendus eſt cum commentario *Schefferi*, qui editionem ejus publicavit anno 1674. in 8vo. una cum commentario *Munckeri*.

§. 23.

Qui ſuperſunt ex aurea ætate, fragmenta potius aliqua, quam integra ſcripta ſunt. Sunt *Caji Redonis* elegiæ duæ in obitum Mœcenatis ſcriptæ, quas Mœcenati ſuo adjunxit *Meibomius*. ſunt *Cornelii Severi* & aliorum poëmatia quæ edi ſolent cum *Virgilianis* operibus. ſunt priapeja carmina, dictionis elegantisſimæ, niſi quod in impuro argumento verſantur. Quæ illuſtrare tamen commentario ſuo dignatus eſt *Scaliger*, & poſt *Scaligerum Scioppius*, homo ad illas elegentias factus. In quæ præterea Commentarium, ſi recte memini, promiſit *Iſaacus Voſſius*.

CAP. III.

De Scriptoribus argenteæ ætatis.

§. I.

Non quidem opus erat operosa auctorum argenteæ ætatis recensione. Nam ex aureæ ætatis scriptoribus, quantum ad eloquentiam spectat, satis superque nostræ industriæ prospectum est. Quoniam tamen illis, qui jam robur aliquod civilis eloquentiæ acquisiverunt, elegantiam aliquam & acrimoniam superaddunt: non omnino negligendi sunt: sed postquam fundamenta è prioribus illis bene jacta, ad ornandum sermonem quasi in subsidium adhibendi. plerique enim hujus ætatis auctores, ut & sequentium magis de ornatu rerum & sententiarum solliciti sunt, quam de elegantia & nitore verborum. Hinc statim ad acumina & argutas sententias delapsi sunt, quæ illa ætate omne punctum ferebant: facem quasi prælucentibus declamatoribus, qui in controversiis suis tam scholasticis & umbraticis, quam forensibus isto deliciarum genere mirifice capiebantur. quare ex iis auctoribus si moderate ad usum transferantur nonnulla, neque adeo stipentur, commode

de illis uti poterimus. nam luminibus quibusdam vestiunt orationem, quæ si è verbis & totius sermonis contextu cum ratione quadam efflorescunt, vehementer ornant, illustrant, amplificant orationem. Habent enim plerumque tales argutiæ aliquid in se enthymematis, è loco dialectico desumti. ideoque semper novam aliquam orationis speciem exhibent: modo illa moderatione in illis versemur, ne quid frigidi & affectati pelluceat.

§. 2.

VELLEJUS PATERCULUS historiæ Romanæ, sed particularis scriptor elegans: in quo non multa occurrunt, quæ aurea ætas fastidiat: nisi quod nimium interdum videatur elegans. Nam ridiculi sunt, qui illum librum, ut minus latinum, repudiarunt: de quibus nos in *Patavinitate Liviana.* Illud inprimis in eo notandum est, singulares illum characteres personarum proponere: qua ratione multum adjumenti ad prudentiam civilem confert. nam ex historia statim lineamenta moralia personarum apparent: quod quidem historico præcipue non est spectandum. Sed cum ille sollicite hos characteres observavit, laudandus quam maxime ille auctor est; & exemplum Viro civili præbet in notitia personarum characteristica, quæ magni in prudentia civili

civili usus est. Multi sunt in illum commentarii scripti. Præ cæteris laudandus est ille variorum, curante *Antonio Thysio* editus, & quem *Bœclerus* edidit una cum dissertatione *de characteribus Vellejanis.*

§. 3.

SENECA Philosophus & Rhetor pulcherrima opera scripsit, non tam ad formandum stylum & sermonis contextum, quam ad ornatum sententiarum adhibenda. non enim est in illis libris sermo πεπλασμένος, & qui inter se cohæreat ac sibi respondeat: quam ob causam etiam veteres *calcem sine arena* vocarunt. perpetuæ sunt de argumentis, quæ tractat, sententiæ, quasi seorsim ita positæ, non ut corpus orationis conficiant. Scilicet ut meditantis impetus abripuit ingenium: ita sine connexione omnia prolata sunt: quæ tamen si recte adhibeantur, mirifice ornabunt orationem. ideoque ubi jam stylus formatus; assidua ejus lectio suadenda est: ut inhæreant animo sententiosi conceptus multi: quorum frequentia quo major est, eo minus destituet oratorem cum argumenti ratio illum in istos locos abripuit. Sed judicii moderatione opus est, ut ex illis tanquam bellariis & condimentis tantum sumamus, quantum ad condiendum sermonem opus est. *Sacræ eloquentiæ studiosis mirificè*

tificè proderit Senecæ scripta legisse. Varii sunt commentarii. Est variorum, qui Parisiis in folio prodiit: est *Lipsii* & variorum, curante *Gronovio* edita, quæ & *Lipsianas* & *Gronovianas* notas integras habet.

§. 4.

SENECA TRAGICUS post veteres illos Romanos dudum deperditos Tragœdias scripsit, in quibus Hispanicum tumorem accusant nonnulli, inprimis *Lipsius*, meritò à *Scaligero* reprehensus. dictio enim in Tragœdia debet esse sublimior, neque meo judicio quiquam magnopere in eo reprehendendum occurrit. Absque illo fuisset: nulla fuisset Romanorum in Tragœdia gloria: quæ hoc auctore etiam cum Græcis in certamen descendere possit. Commentarii in eum varii sunt. sed optimus videtur variorum, qui curante *Gronovio* prodiit. Super ejus Tragœdiam hispanica lingua commentarium scripsit, quod ad ipsam artem attinet *Gonzalez* de *Sala*.

§. 5.

VALERIUS MAXIMUS non adeo spernendo stylo scripsit, etsi nonnulla in illo occurrunt, quæ non omnio auream ætatem deceant: cum *Lipsii*, *Coleri* & *Pighii* animadversionibus editus 1614. in 8vo. Est & alia editio variorum curante *Thysio* edita. 8vo Lugd. Batav. 1670. sed tamen & *Vorstii* editio

Digitized by Google

editio notissima cum pleno Indice multa recentius in textu emaculavit; & *Rupertus* jn commentario suo Moralia & Politica potissimum respexit.

§. 6.

JUSTINUS inter aureæ ætatis scriptores refertur *Scioppio*, merito ob id à *Borrichio* reprehenso. Fuit enim epitomator Trogi, scriptoris latinissimi ex aurea ætate. & vero epitomatores eadem verba Auctorum non retinent, ut videmus in *Floro*, qui *Livium* in compendium contraxit, multo in dictione *Livio* neglectior, & ætatis posterioris, quemadmodum *Justinus*. sed verisimile tamen est, nitidiorem fuisse *Justini* stylum, quod ipsa dictio arguit, atque ausim ego affirmare, pleraque illum *Troji* verba retinuisse: adeo parum abest ab aureæ ætatis dictione; si quædam duriuscula exceperis. In hunc *Berneggeri* extant notæ eruditæ, & variorum in Belgio editæ, quibus breviculas quasdam notas adjecit *Grævius*. *Vorstius* quoque cum commentario suo seorsim, tum & *Schefferus* edidit, in quibus singulis alipua reperies quæ Auctorem illustrant. Apud *Berneggerum*, *Vorstium* & *Schefferum* indices laudantur.

§. 7.

CURTIUS qua ætate vixerit plane incertum est, ad argenteam tamen referri solet,

let, ac merito quidem. neque enim quicquam facile in dictione ejus reprehendendum occurrit. in concionibus argutus est; & quodammodo ultra ætatem auream, quæ in iis parcior esse solebat. Hinc sæpissime illum nimium rhetoricari deprehendas. cujus exemplum esse possit in oratione Scytharum ad Alexandrum, quæ quasi in ludo declamatorio potius formata, quam à gravibus & seria tractantibus viris proposita videtur. Mensura dictionis moderata est, non nimium excurrens & exsultans, neque nimium concisa & prærupta, ut *Taciti* dictio, sed quasi medio modo se habens: ideoque quoad periodum in exemplum præ aliis poni potest. In illum commentarius optimus est *Freinshemii*, qui in hunc Auctorem diligentiam summam impendit. notæ ejus uberrimæ tam historicæ quam philologicæ. accedit index adeo luculentns, ut plenior esse non possit, præsertim in editione ultima in 4to edita. Unde pleraque excerpsit, qui in usum Delphini *Curtium* edidit. *Blanckhardus* tamen in Commentario suo non spernenda passim monuit.

§. 8.

PETRONIUS nequam scriptor, sed elegans, Neronis ætate scripsit, & flagitiorum ejus hoc quasi monumentum reliquit. In rebus

rebus Venereis admodum disertus, ut abunde suppeditare possit materiam in his deliciis versantibus. *Scaliger* notabat phrasin ejus, ut quæ Neronianam ætatem exprimeret. Aridum enim & discinctum scribendi genus habet. latinitas tamen non contemnenda, sed judicio tamen usurpanda: cum non raro apud illum occurrant, quæ argumentum suum sapiant, & ex nequitio ingenio conficta. Fragmentum aliquod ejus nuper *Tragurii* in Dalmatia repertum est, de cujus integritate disputant hodieque inter se Critici. refertum enim est vocibus plebejis & in latina lingua inauditis: verum ego non suppositum esse existimo, sed genuinum, & sermone plebejo scriptum; qui tamen ad imitationem proponi non debet. In illud fragmentum sunt *Wagenseilii*, *Valesii*, *Rheinesii*, *Schefferi* commentarii. in ipsum *Petronium* extant variorum commentarii, ab *Erhardo* in 8vo, editi; *Joann. Petri Lotichii* in illum commentarius Medicus, qui ad has nequitias etiam medicam symbolam contulit, præscribens remediorum formulas, & multa interserens longius petita. Accedunt etiam *Scioppii* notæ: qui, ut Autorem sedulo explanaret, venereas etiam dicendi formulas & phrases in germanicam linguam convertit.

§. 9.

§. 9.

PERSII ſatyræ multum habent duri & rigidi; ut in argentea ætate pene ferreus dicendus ſit. Unde patet non uſque adeo perpetuum eſſe ex ætate judicium; ac poſſe nonnunquam in bona ætate malos, in mala bonos naſci autores: quare Juvenalis, qui ipſo ætate inferior eſt, longe ipſi eſt, quod dictionem attinet, præferendus. Mira ejus eſt obſcuritas, quam ſummo ſtudio affectavit. quam obſcuritatem videns *Hieronymus*, abjecto libro, ſi non, inquit, vis intelligi debes negligi. Laboratum tamen in illo à doctiſſimi viris eſt. nam ut antiquiores commentarios omittam: extat in illum *Iſaaci Caſauboni* doctisſimum opus: de quo non immerito *Joſephus Scaliger* dixit, *condituram meliorem eſſe ipſo cibo*. Eſt enim plenum omnis eruditionis. legi tamen poteſt auctor ille: quoniam nonnunquam occurrunt antiqua *παροιμιώδη*, quorum in ſermone uſus eſſe poteſt. Qui verborum intelligentiam tantum quærit, legat paraphraſes *Friſchlini*, *Lubini*, & *Marginales Bondii*, *Wedderbornii*.

§. 10.

LUCANUS poëma ſcripſit de bellis civilibus, Oratori quam Poetæ propior. non deſtituitur quoque prudentia civili; ſed ne-

que

que dictio ſatis pura eſt, neque moderata elocutio. judicium paſſim vacillat. immodicus eſt in digreſſionibus: & characterem illum, qui ad carmen Epicum ſcribendum requiritur, plane negligit. unde *Scaligero non canere ſed latrare dicitur*. Plane itaque in exemplum non eſt proponendus. atque hoc in ſe *præprimis* vitium habet, quod jam tum Cicero in poetis Cordubenſibus notabat, ſonare illos aliquid pingue. Varii ſunt in illum commentarii, ut *Grotii*, *Mycilli* & aliorum. index in eum extat *Theodori Pulmanni*. *Farnabius* cum paraphraſi marginali edidit.

§. 11.

POMPONIUS MELA Geographus eſt. in illum extat eruditisſimus *Iſaaci Voſſii* commentarius, in quo multa occurunt notatu digna.

§. 12.

COLUMELLA, PALLADIUS, rei ruſticæ ſcriptores, laudandi omnino ſunt, & *pene Varroni præponendi*. eleganter enim de hoc argumento ſcribunt.

§. 13.

CORNELIUS CELSUS, medicus, elegans plane ſcriptor eſt, ut medicorum *Cicero* vocari meruerit. non habemus ejus editionem accuratam. Nam quæ Lugduni Batavorum anno 1592. in quarto prodiit multis

Digitized by Google

multis ſcatet mendis. abſolutisſimum in illum commentarium parabat *Holſtius*, Medicus Tönningenſis: ſed mors huic conſilio intercesſit.

SCRIBONIUS LARGUS, in quem labores ſuos impendit Joh. *Rhodius*, CELSO longe poſtponendus eſt.

§. 14.

ASCONIUS PEDIANUS commentator, in aliquot *Ciceronis* orationes, ad hanc quoque ætatem ſpectat: ac magnam ſæpe lucem ipſi *Ciceroni* accendit. Ceterum notandum hoc eſt, quod & *Borrichio* notatum videmus, multos eſſe in hac ætate auctores, qui cum illis, qui in ætate ænea ſcripſerunt, comparari minime poſſunt: reperiuntur enim in hac nonnulli, qui argenteos illos Scriptores longe ſuperant: cultura forſitan & ſtudio eluente ſordes illas, quas ab ætate contraxerat oratio: ut nonnunquam inter barbaros ſcriptores aliquos deprehendimus, qui ad veterum etiam temporum elegentiam quodammodo adſpirant: ac noſtro etiam tempore non pauci ſunt, qui cum Auguſtei ævi ſcriptoribus conferri poſſunt, ceteros autem longe ſuperant.

Digitized by Google

Cap. IV.
De ætatis æneæ Scriptoribus.

§. I.

Ad æneam ætatem, tinnulam magis & ſonoram accedimus, quam eſt aurea ac argentea. vixerunt enim hic auctores magis argutiis & ſcholaſticis quibusdam elegantiis dediti. Nam epitheta arguta, breves ſententiæ, omne hic punctum abſolvunt: in quibus etſi jam tum *Ovidius* & *Vellejus Paterculus* ex argentea ætate floruerint: magis tamen illi ſibi temperarunt, atque ab illis quæ frigida & affectata ſunt abſtinuerunt. Videatur de illis *Rapinus*, obſervationibus in poemata *Homeri* & *Virgilii* p. 71. 72. 73. editionis latinæ. *Lucanus* ex argentea ætate totus in his deliciis eſt, ſupra modum & ſine ratione adhibitis: tum & *Tacitus* in hiſtoriis, qui ultra modum ſententioſus eſt, quibus addi etiam poteſt *Seneca*. Stulti itaque omnino ſunt, qui hos auctores, ut qui genus orationis πεπλασμένον non habent, ad imitationem ſibi proponunt: ut, ſi quis vel e *Tacito* vel e *Seneca* diſcat formare orationes & epiſtolas. nihil enim ineptius fingi poteſt. Nam totum hoc ſcribendi genus, non conſtat

ſtat partitione aliqua oratoria, non membris & periodis in orbem redeuntibus, ſed ſolum ingenii ductum ſequitur, qui in auctoribus, qui ita ſcribunt, elegantiam aliquam præ ſe fert, in imitationibus vero elumbis & exilis eſt, & in putidisſimas & frigidas nænias convertitur, quibus ſemel admisſis, dictionem omnem omni in genere corrumpi neceſſe eſt: cum ſententioſum illud & argutum ſcribendi genus, ubi ſemel ſermo πεπλασμένος in habitum concesſit, facillimo negocio ab homine ingenioſo exprimi poſſit. Recenſebimus eorum præcipuos.

§. 2.

QUINTILIANUS inter principes hac in ætate merito poni debet, etſi Hiſpanus; nemo enim poſt *Ciceronem* elegantius & majore cum judicio de arte rhetorica ſcripſit: immo ipſum *Ciceronem* ſuperavit; ſi plenitudinem præceptorum ſpectamus. dictio concinna & nitida eſt, quæque adeo nihil habet peregrinitatis & tumoris hiſpanici: ut ineptus omnino ſit *Philelphus*, qui in illo Hiſpanitatem neſcio quam notavit. non ſolum itaq; ob præcepta eloquentiæ, quæ ſunt ſapientiæ plena: ſed & ob ſtylum legi debet. *Culpandus tamen in illo, quod Ariſtoteli interdum ſine ratione adverſetur.* Judicia, quæ de ſcriptoribus pasſim inſpergit, magni ſunt facien-

 da,

da, inprimis Lib. X., vel eam ob causam, quod, cum tot alios habuerit auctores, quos commendare potuerit, solum tamen normam & regulam eloquentiæ constituerit. *Ciceronem eumq; profecisse in eloquentia judicaverit, cui Cicero placuerit.* Ubique reperiuntur ejus in sententiarum immoderatum usum declamationes. immo ipse *Seneca*, qui morbo hoc præ aliis laborabat, non dissimulat ætatis suæ intemperantiam. Editiones *Quintiliani* variæ sunt. Variorum illa, quæ in Batavis prodiit, veteris præferenda videtur. Edidit quidem etiam *Pareus*: sed ille solenne suum obtinet, omnis enim illi clamat pagina: fur es; nam ex *Cresollii vacationibus autumnalibus & Theatro Rhetorum* pene omnia depromsit, nominato interdum, alias dissimulato auctore.

§. 3.

JUVENALIS Satiricus, inter meliores etiam hujus ætatis est, Horatio tamen longe inferior, si dictionem spectes, argutia interdum superior, concinniorem etiam in carmine numerum observavit, quam fecit *Horatius*, qui studio culturam illam neglexit. Multa possunt ex illo depromi sententiosa & adagialia, quæ ad ornandam orationem etiam solutam suo loco & tempore faciunt. Habemus in illum Scholiastas veteres Grammaticos. Usui nostro inservire

Digitized by Google

vire poterit vel editio variorum Batava, vel illa Lubini, qui paraphrasin & notas in illum scripsit, adjecta etiam Sciagraphia Dialectica & Rhetorica. Etiam *Farnabii* notæ marginales non omnino spernendæ.

§. 4.

SUETONIUS; neque hic contemnendus Scriptor est, & in historico certe stylo multum laudis meretur. intra fines enim historici se tenet, neque *Taciti* more luxuriatur nimiis conjecturis & sententiis. Vitæ Imperatorum satis concinna serie ordinantur, & quæ in illis occurrunt, tum quod ad dictionem spectat, tum quod ad prudentiam civilem, non mediocrem cultum præ se ferunt, si pauca, quæ non satis latina ac pura quibusdam videntur, exceperis. Melius certe ad imitationem in historia scribenda proponi potest, quam *Tacitus.* Varii sunt in illum commentarii. Variorum editio Parisiis prodiit in folio anno 1620, ubi integræ habentur variorum notæ, inter quos præcipuæ sunt *Torrentii* & *Casauboni. Casauboni* commentarius seorsim editus est, curante *Bæclero*, Argentorati in 4to., cum indice locupletissimo. Novissima editio prodiit in Batavis, curante Grævio, cum notis integris *Casauboni* & *Torrentii*, additis etiam Grævianis. Si quis historiæ illustrationem præceteris desideret: lau-

danda est editio Parisiensis, per *Carolum Patinum* procurata. in qua illud singulare est, quod singulis Cæsaribus, eorumque rebus gestis subjecerit *nummorum* imagines, qui mirifice illustrant historicam cognitionem. quam methodum etiam sequutus est *Grævius* in editione *Flori*. Extat insuper etiam *Schillii* commentarius in *Suetonium*, cum notis variorum, qui nonnunquam de suis aliqua erudita immiscet, ac legi dignus est.

§. 5.

PLINIUS uterque in hac ætate laudem merentur. Quod enim ad Plinium secundum attinet, gratulari nobis debemus de servato hoc opere, quod totam rerum naturam, ut antiquis illa cognita fuit, pulcherrimo compendio repræsentat. Optandum esset ut libri ejus *de bellis Germanicis* in manus nostras incidissent, sed illi fuerunt deperditi, incomparabili rerum Germanicarum jactura. Opus illud *Plinianum* multis scatet mendis, nec in hunc diem inventus est, qui medicam illi manum adhibere vel potuerit vel voluerit. paucula enim illa, quæ *Dalechampius* & *Salmasius* commentario in *Solinum*, & *Gronovius* in editione variorum Batava notarunt, non tanti sunt, ut integrum nobis præstent hunc Auctorem, ad quem emaculandum opus esset Viro, non Critices tantum, sed omnis historiæ naturalis

ralis & Geographiæ perito. Multum ſane in illo præſtitit *Salmaſius*, exercitationibus in *Solinum*: ſed pauca habemus manuſcripta exemplaria, unde corrigi textus poſſit. Magnus hujus Auctoris uſus eſt in rebus naturalibus latino ſermone efferendis. absque illo enim ſi fuiſſet: nomenclatura rerum naturalium in multis nos deſtituiſſet. Philoſophi naturales multa in illo habent quæ agant. Nam indignum ſane eſt, a Sciolis nonnullis interdum exagitari Plinium, ut mendaciorum & fabularum conſarcinatorem: cum multa in eo reperiantur, quæ ad profundisſimas naturæ ſpeculationes feneſtram aperiunt. *Alter ille Plinius*, cujus exſtant Panegyricus & Epiſtolæ, ſæpe vel ſeorſim vel junctim editæ, argutum & ſententioſum dicendi genus in oratione & epiſtolis ſequitur. Ejus Panegyricus pene omnes LLCC. *de Principe* exhauſit, adeoque ſyllogen quandam repræſentat omnium iſtarum rerum, quæ ad laudem Principis pertinent. plus certe dixit, quam debuit, & longe a Veterum in dicendo parſimonia remotus. Tota Principis formandi quaſi idea, omnisque civilis prudentia, ad hoc argumentum ſpectans, in iſta oratione repræſentatur. Epiſtolæ ejus quamvis argute ſatis ſcriptæ, longe tamen abſunt ab illo artificio rhetorico, quo uſus eſt *Cicero*. ne quid dicam de Symmetria periodorum, qua

in re totus defuit. non eſt itaque niſi poſt formatum jam ſtylum & matura ætate legendus: ut ſuppeditet interdum ſententioſa aliqua, quorum in orationibus & epiſtolis uſus eſſe poteſt, ſed neceſſaria ſemper moderatio requiritur. In epiſtolis ejus emendandis & explicandis multam operam poſuit *Buchnerus*, tum & alii nonnulli, poſt quos tamen *Buchnerus* ſcripſit. Panegyricus ejus in Trajanum ſeorſim editus eſt, cum notis uberrimis & copioſo indice à *Berneggero*. Non deſunt & alii commentatores. ſed facile illis, quos commemoravi contenti eſſe poſſumus.

§. 6.

CORNELIUS TACITUS. Magnum hoc nomen eſt, & hodiernorum Politicorum idolum, qui magis de corruptæ reip. arcanis diſcendis docendisque, quam in rectæ reipublicæ doctrina percipienda ſolliciti ſunt. Nihil derogo laudi vel famæ Taciti: ex ingenio tamen temporum ſuorum ſcripſit, & corruptiſſimam rempublicam propoſuit ſuis ſuſpicionibus, ut ingenioſior & ſententioſior videretur: quædam Principum non male cogitata corrumpens. laudem tamen illam merebitur, quam Sophiſtæ inter Philoſophos. Ut enim vitare diſcamus malas artes, quas *Tacitus* partim recen-

ſet,

ſet, partim etiam docet, cum non eſſent tam vafri Principes, quos ipſe tamen vafros ingenio ſuo facit, magnopere prodeſt Tacitus. Nullum enim ſcelerum in republica genus eſt, nulla flagitiorum myſteria, quorum illic lineamenta non ſint ducta. Dictio ejus ſingularis eſt, & in ſuo quidem genere elegans. ſed qui illam, ut orationis ideam præſcribunt, omnino ſtulti ſunt. Nam ſingulare aliquid affectavit *Tacitus*, & a communi dictionis ſenſu abhorrens, quod, moderante *Taciti* judicio decorum quidem & pulchrum videtur, imitatione nonniſi ineptum fieri poteſt: inprimis ſi illa intempeſtiva ſit & præmatura neque enim omnino inimitabilis eſt *Tacitus*: ſed illi demum imitationem hanc aſſequentur, qui jam tum ſtyli artificium omne poſſident. Commentariorum in illum ſcriptorem integra bibliotheca eſt, quibus recenſendis aliquot horæ impendendæ eſſent. Quod ad commentatores politicos attinet, plerumque alius alium exſcribit. *Omnium optimi ſunt Forſtnerus & Bœclerus.* Ad Hiſtoriam ipſam & verborum intellectum commendari unice debet illa variorum editio, quæ Lugduni Batavorum prodiit, curante *Gronovio*: in qua habentur Lipſianæ notæ integræ, ut & aliorum optimorum commentatorum, tum & Gronovianæ. adjectus quoque eſt index

Ber: eggerianus. Lectio ejus prima ætate plane ſeparanda eſt, corrumpet enim ſtylum prava imitatione. nulla enim periodi in illo menſura eſt: quamvis tamen aliqua ſit membrorum ſymmetria. quare fatiſcentem & hiantem ſtylum formabit, qui ad ejus dictionem ſe componet. matura vero ætate cum rerum cognitione imbuendus eſt animus, tum ille, & quidem non negligenter, legendus. facit enim in verſandis negotiis humanis calidum, ſuſpicacem, circumſpectum, & qui aliorum fucos facile animadvertat, & in animorum interiora penetret. Huic præcipue fini deſtinandus eſt *Tacitus.* Nam qui gerendæ reipublicæ regulas ad hæc exempla formare volunt, Tyrannidem inducunt. Quare non omnino contemnenda *Scioppii* illa cautela, qui e manibus principum excutiendum eſſe *Tacitum* exiſtimat. ſemper enim e corruptis exemplis aliquid hæret, & ſub illarum recenſione occulta quædam flagitiorum doctrina inſtillatur.

§. 7.

LUC. ANN. FLORUS, Panegyriſta potius & declamator, quam Hiſtoricus, & ceteris omnibus ratione dictionis poſtponendus. Eſt enim usque ad ineptias ſæpe poëticus, ut demonſtrat in docta illa diſſertatione præliminari de *Flori* ſtylo *Grævius*, ejus commen-

commentator. Quod ſi tumida illa exceperis, cetera non usque adeo ſunt contemnenda. rerum enim Romanarum ſatis concinnum breviarium repræſentat. Variæ ejus editiones ſunt. *Freinshemiana* ob indicem commendanda: *Graviana*, quæ omnium recentiſſima eſt, ob illuſtrationem hiſtoriæ ex numismatibus.

§. 8.

STATIUS inter Poëtas hujus ætatis principem locum nonnullis habere videtur: tanti a nonnullis æſtimatus, ut *Virgilio* etiam præferant. a quibus ego plane diſſentio. quamvis enim haud negem, ſublimem eſſe in deſcriptionibus, ceterisque ornamentis poëticis: dictio tamen ejus neſcio quem tumorem habet, ac interdum etiam peregrinitatem: ut *Rapinus* eum furioſum appellet, *Famianus Strada* agyrtæ alicui comparet, variegatis plumis & verſicoloribus ligulis ornato. v. g. privare aliquem oculis, reddidit ille per projicere diem, & ſimilia. Dictio ejus interdum inſolens eſt; phraſes ſæpe confictæ & ineptæ, magna translationum audacia, quæ ubique apparet. quare caveat ſibi tiro ab immoderato ejus poetæ uſu; ne dictionem ſuam inficiat. Cum è Poetis aureæ ætatis dictio formata eſt: ad colorandum poëma interdum adhiberi poteſt, ſed majori id fieri judicio debet, quam ipſe

ipse fecit. Immanem in illum commentarium scripsit *Barthius*: in quo multa sunt conglobata inanium allegationum. Gallicam in illum paraphrasin scripsit auctor, cujus nomen mihi jam non succurrit. *Gronovius* in eo emendando operosus fuit, cujus commentationes & seorsim prodierunt, & in editione variorum, quæ in Belgio procurata est.

§. 9.

MARTIALIS, Hispanus, acutissima scripsit epigrammata, quæ, quamvis venustatem Catullianam in verbis & figuris dictionis non repræsentent: acrimonia tamen longe vincunt. Est enim mirus in nonnullis lepor, sed & fœda in quibusdam spurcities: quam ob causam hoc sibi negotium datum esse crediderunt Jesuitæ, ut tanquam novi pudicitiæ custodes, cœlo lapsi, auctorem hunc a sordibus illis repurgarent. E quibus *Raderus* commentarium in illum scripsit vastissimum in folio, omissis epigrammatibus illis quæ impuri argumenti sunt. Editionem variorum in illum procuravit *Petrus Scriverius*, qui in 12mo integras notas variorum edidit, suasque adjecit. Prodiit quoque variorum editio in Batavia. Index in illum plenissimus est *Josephi Langii*. Commentatus quoque in illum est, *Ramiretus de Prado*, Hispanus, homo

πολ-

Digitized by Google

πολλῆς φαντασίας, quem etiam ut plagiarium notat *Thomasius*, in dissertat. de Plag. §. 530. *Cæsar Zarottus*, Philosophus & Medicus Venetus, in Martialis epigrammata commentarios medicos scripsit, Venetiis anno 1657. in 4to editos. *Farnabii paraphrases marginales non sunt contemnendæ.*

§. 10.

VALERIUS FLACCUS Argonautica scripsit, cujus dictio ad poësin non usque adeo commendanda est, cum meliores habeamus. legendus præcipue ob argumentum est. In illum commentati sunt *Ludovicus Carrio*, *Zinzerlingius* & alii. Exiit & variorum editio in Batavia.

§. 11.

Ejusdem commatis poëta est SILIUS ITALICUS, apud quem tamen interdum aliquæ reperiuntur elegantiæ, etsi judicium plerumque vacillet: Historico tamen propior est, quam Poetæ, ut *Lucanus*, ideoque ob historiam potius, quam ob dictionem poeticam legendus. In illum crepundia scripsit *Dan. Heinsius* 14. annos natus. Uberiores in illum notæ sunt *Claud. Dausquii* in 4to editæ.

§. 12.

SOLINUS, *Plinii* epitomator, & ipse parum ad dictionem formandam prodest. nam quæ apud illum bona sunt, omnia

sunt

Digitized by Google

ſunt e *Plinio* depromta. Ignobilis certe auctor & *Plinii* umbra: nunc tamen aliquo precio habendus, poſtquam in illo omnem ſuam operam poſuit *Salmaſius*, qui in vaſtisſimo volumine eruditisſima ad cognitionem rerum naturalium Philologumena collegit, atque hac ratione *Plinium* ipſum illuſtravit, cui collatus *Solinus* interdum aliquid affert lucis.

§. 13.

JULIUS FRONTINUS, rerum militarium ſcriptor, de ſtratagematibus, & aquæ ductibus ſcripſit. Ex illo nihil capias, præter illa, quæ ad hoc argumentum ſpectant. Editus eſt cum notis variorum *Arnhemii*. Ceteri minutiores ſcriptores, ſi qui ſunt, exigui momenti ſunt.

CAP. V.

De ferreæ ætatis Scriptoribus.

§. 1.

Relinquimus ætatem æneam, quæ plus tinnit, quam aurea & argentea, & procedimus ad ferream, quæ plus ſtridet & ſtrepit, ac familiari quadam rubigine fucata

Digitized by Google

fucata est. Invenias hic monstra verborum, horridam syntaxin, numeros difficiles, periodorum ἀνακόλουθα, totum denique sermonem squalidum & horrentem. Occurrunt quidem in auctoribus nonnullis, præsertim Africanis & Hispanis, voces & verba insolita, quæ tamen esse latina negare quis non potest, & fortassis jam ab aurea ætate derivata, sed quoniam illa a Scriptoribus his neglecta fuerunt, inepti sunt, qui data opera illa reducere laborant. Nihil itaque ex illis hauriendum est ad dictionem latinam, quod novitatem aliquam & peregrinitatem sapiat: si non puriores scriptores adstipulantes habeamus. In formulis & rerum argumentis aliqua interdum occurrunt non spernenda: si decentiori orationis cultu vestiantur; dictio vero ipsa cum judicio adhibenda est, quamquam & hic Auctores secundum gradus differant. Sunt enim aliis alii meliores. Nos tamen rectius faciemus, si intra auream & argenteam ætatem nos teneamus. Quemadmodum enim qui auri naturam & affectiones novit, atque illas indagare didicit, facilius dehinc de imperfectioribus metallis judicat: ita quoque qui aureæ ætati in Latinitate adsuevit, statim ipso sono & habitu distinguet sordidiorem dictionem.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

AULUS GELLIUS ſeu AGELLIUS, merito hic principem locum tenet. Namque ex illa ætate ceteris omnibus, quod ad dictionis puritatem attinet, præferendus. neque enim e ſentina & fæce vulgi hauſerat voces ſuas, ſed per optimos puriorum ætatum ſcriptores lectione volutus, ſtylum ex illis formavit, non omnino veteribus diſſimilem. Habentur apud illum præclaræ obſervationes grammaticæ & philologicæ, excerptæ e vetuſtis ſcriptoribus integræ, ut vel inter Criticos vel inter locorum communium ſcriptores cenſeri poſſit. Id enim ipſe titulus oſtendit, cum Noctes Atticas vocat. Optima ejus editio variorum eſt, quæ in Belgio prodiit.

§. 3.

APULEJUS AFER, plane aliquid peregrini & monſtroſi alit. Criticis quibusdam in pretio eſt, ut qui multas habeat voces ſingulares, & ex antiquo Latio ſuperſtites. Verum abundent illi ſuo ſenſu, non ſapiunt noſtro palato hæ deliciæ; quas non invidemus illis, qui frugibus repertis, glandibus veſci malunt. Res ipſa loquitur, & verba & juncturam verborum multum habere peregrinitatis; qua de re plenius in diſſert. de *Patavinitate Liviana.* In illum varii

extant commentarii, *Stewechii*, *Beroaldi*, *Calvii*. Non memini autem variorum aliquam esse editionem procuratam.

§. 4.

Historiæ Augustæ Scriptores, qui uno volumine collecti sunt, vitas Imperatorum sui temporis recensent. Dictio in illis è genio seculi sui formata, interdum cultior, interdum rudior. ad historiam illorum temporum omnino legendi: & occurrunt interdum aliqua, quæ non aliena sunt à civili dictione, & à civilis prudentiæ interiori doctrina. In præcipuos ex illis *Isaacus Casaubonus* commentarium scripsit, & post illum *Salmasius*, cujus extant doctissimæ annotationes, junctim cum Casaubonianis, editis Parisiis in folio, recusis Lugduni Batavorum anno 1671. in 8.

§. 5.

CLAUDIANUS ultra seculi sui genium in carmine disertus. Nonnullis tanti æstimatur, *Barlæo* inprimis, ut ejus imitationem Virgilianæ proponant, qua in re tamen vehementer falluntur. Quanquam enim dictio ejus non sit inelegans, quanquam numerosissimus sit Poëta, ac sonorus: vehementer tamen à Virgiliana Poësi discrepat. Est enim in carminis ejus mensura quid puerile & subsultans, quod

imperitorum quidem aures titillat, ſed orationis decoro, quod in convenientia rerum & verborum conſiſtit, parum convenit. Non poteſt enim perpetuus in carmine tenor uſurpari: ſed debet is varia poeticarum periodorum menſura diſtingui, quod pulcherrime obſervat *Virgilius*: cujus alia periodus, alia pedum compoſitio eſt in narrationibus, deſcriptionibus, orationibus, cujus alia eſt pedum menſura, ratione ſcilicet miſtionis ſpondæorum & dactylorum, cæſurarum, quæ diligentisſime notarunt veteres nonnulli Grammatici. Verum Claudianus unum ſemper obſervat orationis curſum. In Claudianum prolixum commentarium ſcripſit *C. Barthius*, ut ille ſemper diffuſus eſt; multa ſunt in illo digna indigna relatu. Breviorem ſcripſit commentarium *Nic. Heinſius* in 12. qui ſæpe data occaſione *Barthium* vellicat. Eſt & aliqua Variorum Batava, & alia in uſum Delphini edita. Ceterum Poëta hic Oratori Panegyrico multum adjumenti feret in ornando ſtylo encomiaſtico; eſt enim argutus & ſententioſus.

§. 6.

AUSONIUS, Poëta itidem eſt hujus ſeculi. In epigrammatibus plerumque infelix; in dictione Poëtica non adeo cultus,

Digitized by Google

tus, nisi cum Centonem Virgilianum scripsit, in quo mire fuit ingeniosus. Primus enim, quantum constat, hoc poëmatis genere se exercuit. In illum extant *Josephi Scaligeri lectiones*, quæ seorsim in duodecimo editæ sunt & una cum *Eliæ Vineti* notis in 4to, Burdigalii editæ, quæ omnium optima est editio: nisi forte & Variorum aliqua prodiit, quod nunc non memini.

§. 7.

PRUDENTIUS, Poëta Christianus, satis cultus & elegans, qui vel ob argumentum sacrum legi mereretur, sed tamen post antiquiores illos. Intempestiva enim hæc pietas est illorum, qui, rejectis vetustis Poëtis, hunc in scholas introduci volunt. In illum commentarius elegans est *Nic. Heinsii*, & in quædam poëmatia extant seorsim *Weizii* & *Buchneri* notæ. Edidit una & cum ceteris Christianis Poëtis junctim *Georgius Fabricius*, notis in fine adjectis, quorum tamen plerique ad hanc classem non pertinent, & *Prudentio* multis modis sunt postponendi, neque aliis usibus, quam historiæ Ecclesiasticæ inserviunt, quæ & illis interdum illustratur.

§. 8.

CALPHURNIUS & NEMESIANUS

Eclogas ſcripſerunt, ſed alius plane fili, quam ſunt Virgilianæ. *Nemeſianus* tamen, Afer ceteros ſuos populares elegantia vincit, & Africanam illam indolem quodammodo exuit. Sed apparent tamen in illo non raro quædam transmarinæ deliciæ, quas *Janus Vliſius* commentario illuſtravit, atque una cum *Gratio* edidit.

§. 9.

PANEGYRICI ANTIQUI, QUI DUODECIM numero hoc ſeculo ſcripſerunt. Sunt in illis interdum, quæ non ſpernas, ſed referti ſunt tumore multo, & mirabilibus blanditiis ac adulationibus, quæ huic ſeculo familiares. Si quis ex illo fuco tantum ſumſerit, quantum honeſtè fieri poteſt & per judicii rationes fieri licet, in orationibus ad principes, his tanquam luminibus uti interdum poteſt. Editi ſunt junctim in Gallia, cum notis cujusdam *Livinei* (in 12.) duobus tomis. *Buchnerus* Plinianis exemplis adjunxit. *Schefferus Drepanium* ſeorſim edidit cum notis.

§. 10.

APICIUS etiam hic non omittendus, pene inter principes hujus ætatis, ſi tempus ſpectes. Si quis in culina Latine loqui velit: hunc adeat; hunc enim obſoniorum & eduliorum Magiſtrum habebit, &

& coquum non ineruditum: ut & Musæ hanc redolere culinam velint. Notas in illum ſcripſit aliquis *G. Humelbergius* in 4to Tiguri an. 1642. editas.

§. 11.

ARNOBIUS, Chriſtianus Scriptor, Afer, ceteris ſuæ gentis melior, non omnino ſpernendus eſt, quod ad dictionem attinet. Qui tamen in uſum latinitatis non facile adhibendus eſt. ipſius enim tempore plane jam corrupta fuit latinitas, ut patet è commentario ejus in Pſalmos, quem *Eraſmus* edidit, plebejo ſermone ſcriptum, in quo innumerabiles ſunt ſolœciſmi & barbariſmi. Editus eſt cum commentariis variorum integris Lugduni Batavorum anno 1651. in 4to, qui rem Eccleſiaſticam illorum temporum non parum illuſtrant.

§. 12.

MINUTIUS FELIX, ejusdem commatis ſcriptor, prodiit cum commentariis Variorum, curante *Ouzelio*, qui ſuas quoque adjecit, plagiarius. Malè enim eo nomine audit.

LACTANTIUS quoad latinitatem purior eſt, cujus editio cum notis Variorum prodiit Lugduni, anno 1660. in 8vo.

§. 13.

AMMIANUS MARCELLINUS res geſtas ſcripſit Imperatorum, *Juliani, Joviani, Valen-*

Digitized by Google

lentiniani & *Valentis*, ſtylo horrido & non imitando. nam nec verba & phraſes, nec junctura membrorum talis eſt, qualis eſſe debet in civili & ornata oratione. Confuſa omnia & trajecta, ideoque ejus in ſtylo formando nullus uſus eſt, ſed ad hiſtoriam tamen commendari debet. In illum commentatus eſt *Lindenbrogius* & poſt illum *Henricus Valleſius*, cujus extant in illum notæ eruditiſſimæ. nuper utriusque notæ in Gallia recuſæ in Fol.

§. 14.

JULIUS OBSEQUENS de prodigiis ſcripſit, quem *Schefferus* cum notis edidit. exiguus libellus & ad dictionem non magni pretii.

MARTIANUS CAPELLA Africanum aliquid ſapit, illuſtratus à *Grotio* notis: anno ætatis 14. ſcripſit nuptias philologiæ & Mercurii.

§. 15.

SULPITIUS SEVERUS, ſcriptor eccleſiaſticus, ſupra ætatem elegans, prodiit cum notis *Joh. Vorſtii* in 12. Ejus extat editio Variorum Amſtelodami anno 1674. procurata.

§. 16.

TERTULLIANUS, hujus quoque ſeculi eſt, Africanus ſcriptor Chriſtianus, cujus extant varii libri ſacri argumenti; pro dictione

ctione formanda non ſunt legendi, ſed ad antiquitates eccleſiaſticas multum ferunt adjumenti. Varii extant in illum commentarii, tam in libros omnes, quam in aliquos. Commentatus eſt in illum *Ludovicus de la Cerda*, *Georg. Ambianas*, qui pleniſſimus variis ad antiquitatem pertinentibus obſervationibus. In tractatum *de pallio* commentatus eſt *Salmaſius*, & in aliquot ejus libellos JCtus, *Jacobus Gothofredus*.

§. 17.

CASSIODORUS multum e Gothica fœce habet. Eſt enim ejus dictio horrida & quodammodo peregrina, rebus tamen ad civilem prudentiam & moralem diſciplinam pertinentibus referta. Ejus aliquot editiones ſunt, inter quos vulgatior illa quæ Francofurti in 8vo edita eſt.

§. 18.

VEGETIUS de re militari ſcripſit, non tam ob ſtylum, quam ob argumentum legendus. Scripſit & *Mulomedicinam*. Illius editio optima eſt, quæ cum Notis variorum in Belgio prodiit.

CENSORINUS de die natali librum ſcripſit, qui antiquarios juvare poterit. In ſtylo & dictione, ſi pauca exceperis, non adeo reprehendendus. *Lindenbrogii*

Digitized by Google

in illum notæ extant optimæ, quæ prodierunt Lugduni Batavorum in 8vo.

AURELIUS VICTOR, qui de viris illuſtribus ſcripſit, reliquis purior eſſe videtur, prodiitque cum notis variorum integris in Belgio. Anno 1670.

§. 19.

SYMMACHUS præ ceteris notus eſt, cujus extant epiſtolæ, quas aliqui nimium imitari ſolent. Eſt vero ejus dictio plane non pura, niſi quod in formulis interdum ingenioſus ſit. Ex iis aliqua ad uſum transferri poſſunt, ſed ea moderatione, ne inficiatur nitor linguæ. Notas in illum ſcripſit *Franc. Juretus*. Extant & in illum *Caſparis Scioppii* Vero ſimilia, ſeorſim edita.

§. 20.

SIDONIUS APOLLINARIS ſcripſit partim epiſtolas, partim poëmata, è quibus hæc illis ſunt meliora. Notandum enim eſt, ſermonem ligatum remanſiſſe puriorem, quam ſolutum. Cum enim in ſermone ligato delectus vocum major haberi ſoleat: è ſollicita illius rei cura ſtylus quoque purior eſt. Multa ſunt in illo infecta ſeculi ſui rubigine, ſed ad uſum tamen philologicum & antiquarium multum confert: & extant ſuper illum notæ eruditiſſimæ *Savaronis* & *Syrmondi*, virorum doctiſſimorum. ſeorſim tamen ſunt edi-

tæ

tæ in Gallia, quibus carere non poteſt, qui eorum temporum hiſtoriam accuratiorem noſſe cupit.

§. 21.

Superſunt aliqui minutiores ſcriptores, vel ad ferream ætatem, vel ad illam, quæ ferrea indignior eſt, plumbeam, aut ſaxeam referendi, quos hic perſequi noſtri non eſt inſtituti. Sunt inter illos Auctores *Finium regundorum*, à *Boetio* ante aliquot annos cum pulcherrimo commentario editi. Medici nonnulli veteres, *Cælius Aurelianus*, *Marcellus Empiricus.* referendi & huc ſunt pleraque JCtorum fragmenta, quæ in Pandectis ſuperſunt, quæ nitidorem præ omnibus hujus ætatis Latinitatem ſervant. cum enim forenſis eorum dictio eſſet, & formulæ actionum uſitatæ jam ab antiquis temporibus retinerentur: melius cuſtodiverunt puram latinitatem quam ceteri: ut non male judicarit *Laurentius Valla: latinitatem è digeſtis poſſe reſtitui*, quanquam *Franciſcus Sanctius* hoc ejus judicium improbare videatur.

Cap. IV.

De recentioribus quibusdam Scriptoribus.

§. I.

Mera post priora tempora barbaries invaluit. Nam per Monachos omnis latinitas corrupta fuit, postquam illa semel à Gothis cladem insignem acceperat. Elucebant tamen nonnunquam quædam veterum seculorum stricturæ; ut in *Saxone Grammatico*, cujus dictio non usque adeo contemnenda est, & in mediis tenebris non exilem eloquentiæ lucem spargit. Resuscitarunt in Italia primo literas *Petrarcha*, magni certe Vir ingenii, & merito tunc temporis magni æstimatus, & pauci quidam ei similes, qui principatum tunc temporis in eloquentia tam latinâ, quam patriâ tenebant, postquam illi viam aperuerunt felicioribus auspiciis: nitidior paulatim latinitas crevit, cum postea capta Constantinopoli, Græci novum literis nascentibus lumen accenderent. Ex iis aliquos in scenam producemus, qui non quidem ante puros atque classicos Auctores legendi sed postquam stylus ex iis formatus est, non infeliciter cum illis

Iis jungi poſſunt. Ceteris ſane ex æneа & ferrea ætate præferri debent.

§. 2.

Inter illos omnino recenſeri debet *Victorius*, cujus præter epiſtolas nihil extat, ad Ciceronis genium omnino formatas. Primus enim ille Ciceronis opera è ſordibus & ſqualore produxit, ac nova luce illuſtravit.

§. 3.

JULIUS CÆSAR SCALIGER tum vivebat, vir magni ingenii ac concitatæ dictionis. neq; enim vel ad elegantiam ſermonis vel ad vehementiam quicquam ei deeſt: cujus epiſtolæ & orationes omnibus eloquentiæ floribus ſunt veſtitæ.

Vivebat iisdem temporibus *Bunellus* in Gallia, *Manutii* Præceptor, cujus paucæ epiſtolæ una cum *Manutianis* edi ſolent. Is Ciceronis elegantiam in omnibus ſequitur. *Manutius* certe hunc ſuum Præceptorem veneratur: qui ſe cum Politianis & *Eraſmis* errantem in viam reduxerit. Illos enim ut affectatores aſpernari videtur: qua in re tamen non omnino probandus eſt. ſunt enim in *Eraſmo* multæ Veneres, & mirifica in omnibus eſt ſtili ſuavitas, neque illi quicquam deeſt, niſi quod interdum non ſatis pura ſit ejus dictio; & *Politianus* quoque aliud quam Cice-

Ciceronianum dicendi genus ſectatus eſt, quale ad *Plinianum* propius accedere videtur. *Manutius* vero totus., quantus quantus erat, *Ciceroni* ſe dederat, non tamen modo illo jejuno & puerili, quo in imitatione Ciceronis utebantur *Longolius*, *Bembus* & *Sadoletus*, ſed virili plane & laudabili. Epiſtolis ejus nihil eſt delicatius & venuſtius, & inprimis formulas Ciceronianas adeo exprimit, ut nullus in variandis eis ſit ingenioſior: quicquid certe *Manutius* fuit, formularum beneficio obtinuit, non ut totas è Cicerone deſcriberet, quod alii faciunt; ſed ut vario ſermonis habitu aliter aliterque efferret.

MURETUS inter recentiores omnes oratoris numeros abſolvit, purus & elegans in dictione, ordinatus in periodis totiusque ſermonis συμμετρία: exardeſcit figuris ubi opus eſt, *&, me quidem judice, cum Cicerone legi poteſt ſine aliquo infectionis periculo. cum verſetur in argumentis magis obviis, & ad uſum noſtrum accommodatis.* In epiſtolis conciſior eſt *Manutio*, & vel *Plinianum* aliquod ſapit, vel *Ciceronem* Atticiſſantem in epiſtolis ad *Atticum*. præterea pleræque ejus epiſtolæ ſunt argumenti Critici & ſcholaſtici: in quibus non eſt eloquentiæ locus, ſed res ipſa, uti eſt, exponitur.

AONIUS PALEARIUS, Italus, orationes & epiſtolas ſcripſit, quæ adeo Ciceronianis ſunt

Digitized by Google

ſunt ſimiles, ut ceteros penè omnes in illa imitatione ſuperaverit. Fata hujus viri fuere lugubria: qui quidem ab adverſariis heterodoxæ religionis inſimulatus, igne crematus eſt, innocentiſſimus.

JOANNES CASA Epiſcopus, pauca quidem ſcripſit, ſub monumentorum latinorum titulo, Florentiæ in 4to & in 8vo edita, ſed latiniſſima, & plane auream ætatem ſpirantia.

Per id tempus quoque in Germania cultiora prodire cœperunt ingenia; in quibus *Melanchton* nullo modo præteriti debet. Ubi enim Orator eſſe voluit, parum illi ad eloquentiæ omnis complementum defuit, niſi quod interdum non ſatis ſit concitatus, & humi ſerpere videatur. Primus tamen in Germania eloquentiam reſuſcitavit, & Rhetoris officium etiam præ ipſis Italis implevit, quanquam illum, ut Oratores, ſuperent.

JOACHIMUS CAMERARIUS, maximus ſane Vir, & nulli Italorum poſtponendus, imo multis præferendus, puriſſimam ſectatus eſt eloquentiam, quam in epiſtolis ejus & orationibus paſſim deprehendas.

PERPINIANUS orationes ſcripſit nitidas & elegantes, atque ex Hiſpana gente pretium ſuo tempore eloquentiæ conciliavit. Ejus epiſtolæ poſthumæ aliquot ante

Digitized by Google

ante annos publicatæ, & adjunctæ *Vavassoris* poëmatibus, quæ in Gallia prodierunt sub titulo isto: *Vavassoris poësis multiplex.* Reperiuntur etiam quædam de latina lingua & eloquentia præcepta per ipsum tradita, quæ una cum *Vavassoris* poematibus sunt edita.

Neque laude eloquentiæ privandus est *Majoragius*, cujus extant orationes nitidæ, & ad optimæ latinitatis genium formatæ. Reperiuntur etiam nonnulli alii tum Oratores, tum alterius generis scriptores apud varias gentes, quorum non est dissimulanda in Latina lingua existimatio. Tulerunt etiam nostra hæc tempora viros illa laude minime privandos, inter èos Wittebergæ fuit

AUGUSTUS BUCHNERUS, & ante illum in eadem cathedra Prof. *Adamus Theodorus Siberus*, qui in linguam latinam bene excolendam omne studium industriamque contulerunt. Vixit etiam Romæ *Janus Nicius Erythræus*, vel, *ut vero nomine appellatur, Jo. Victorius Rossius*, cujus extant elegantissimæ & orationes & epistolæ, ne quid de reliquis ingenii monumentis dicam. In Gallia *Dionysius Petavius*, & *Jo. Vavassor*, Jesuitæ doctissimi orationes cultissimas scripserunt. Fuere etiam inter Batavos *Heinsius* & *Boxhornius*, quorum extant orationes floridæ satis & elegantes,

ad

ad illam dictionis menſuram, qua Itali incedere ſolent, non conſcriptæ. Nam nec periodus plena & oratoria in Heinſianis orationibus eſt, & in *Boxhornio* aliquid poëtici tumoris; etſi quod ad argumentum attinet, multa in illis ſunt laudabilia, & quæ ad varia orationum argumenta uſui eſſe poſſunt. Italorum vero dictio plane eſt ad orationis juſtæ figuram & normam bene inſtituta.

§. 3.

In hiſtorico ſtylo etiam inter recentiores habemus laude ſua minime privandos. *Sleidanus* in illis mediocre & ſatis latinum dicendi genus ſectatur; *Thuanus* faciem ſtyli ex omnibus auctoribus induit; invenies enim apud illum quæ αὐτολεξεὶ è *Chytræo*, *Sleidano*, aliisque depromuntur. *Famianus Strada* non contemnendus in hiſtoria ſcriptor eſt: ſi pauca quædam non ſatis Latina exceperis. Nam *Scioppius*, qui *Famiani* infamiam ſingulari libro aſſertum ivit, ipſe merito in multis infamia notandus eſt; neque enim omnia illa, quæ in iſto libro notavit, ex Apollinis tripode pronunciata ſunt. *Buchananus* inter omnes puriſſimus ſcriptor eſt, ut naſutiſſimus *Scioppius* nihil in illo præter *hæresin* culpandum invenerit.

§. 4.

§. 4.

Poëtas inter recentiores habemus vel cum ipsis antiquis componendos. adeo enim hoc & superiori seculo exculta fuit poëtica dictio à Germanis, Gallis, Italis, Belgis, Scotis, ut numero longe superare antiquos, præstantia etiam contendere quodammodo possimus: si justum aliquod poëma epicum, quale Virgiliana est Æneis, exceperis. Etsi enim non desunt, qui ad ejus imitationem opus integrum poeticum confecerint: ejus tamen castigatum judicium & sublimem industriam non assequuntur. In ceteris omnibus nihil habent antiqui, in quibus paria recentiores facere non possint: etsi illis, ut prototypo, antiquitatis gloria & imitatio debeatur.

In Heroico carmine quid est *Rapini* poematibus elegantius? cujus eclogæ & libri de cultura hortorum, dictionem Virgilianam adeo exprimunt, ut nec ovum ovo sit similius. Non de superioris seculi scriptoribus dicam: inter quos habentur tum Itali, tum Galli, tum Scoti, qui in Heroicis miram sequuntu relegantiam. eorum multa sunt exempla, in *Buchanani* & reliquorum poetarum Scotorum, in *Scævolæ Samartani* de *παιδοτοφεια*, in *Sannazarii* ac multorum aliorum poëmatibus, quos singulos recensere nunc non possumus.; Nostro tempore inter Germanos Heroico-rum

rum ſcriptores laudandus omnino eſt *Buchnerus*, cujus extant pauca quidem in iſto genere, ſed eximia. In elegiacis nihil eſt *Loticbio*, Germano, ſuavius: quem ipſum pene Ovidium interdum vincere dixerunt. Sunt *Danielis* & *Nicolai Heinſiorum* cultisſima in illo genere, quamquam & in cæteris, carmina. Nam Barlæus inter Batavos quodammodo loquacior eſt, etſi in Elegia, & Scazonte mire ſuavis & jucundus; in heroico autem carmine non ſatis caſtigatus. *Rapinus*, cujus ante meminimus, quam cultas & ipſe elegias ſcripſit! In gallica gente nunc habemus, qui ad invidiam in quovis carminis genere felices ſunt, ad antiquitatis genium accurate formato. In quorum numero ſunt *Commirius*, *Car. Ruæus*, *Vavaſſor*, *Hallæus*, *Menagius*, *Sangeneſius* & *plures alii.*

In Italis & Germanis noſtro tempore habuimus Poëtas mirifice ingenioſos & diſertos. Sunt *VII illuſtrium virorum poëmata* in Belgio ab *Elzeviriis* edita, in quibus præ ceteris eminent *Ferdinandi Furſtenbergii Epiſcopi Monaſterienſis*, Herois doctiſſimi poëmata, & inter illa admirabilis ille in Pontificis *Alexandri* VII. natalem phaleucus. nam de cæteris nunc nihil dicam, Italis præcipuè, qui ſatis & ipſi elegantes ſunt. in Satyricis & Lyricis omnino elegantiſſimum eſt ingenium *Baldei* Jeſuitæ Germani,

E cujus

cujus vaſta extant poematum volumina. Pene omiſeram *Wallium*, *Becanum*, & *Sidronium Hoſchium*, poetas Brabantos Jeſuitas, quorum elegiacis carminibus & phaleucis & ceteris nihil fingi formarique ſuavius, & ad omnem elegantiarum & antiquitatis ſaporem dulcius ac venuſtius poteſt. *Grotius*, qui ubivis magnus eſt, etiam in omni carminum genere quascunque ideas feliciſſimè exprimit. Et nunc in Batavis *Petrus Francius*, Profeſſor Amſtelodamenſis, & *Janus Brockhuſius* poeſeos gloriam, quantum memini, ſoli tuentur; quorum cultiſſima ſunt tam in elegia, quam in Heroico & ceteris omnibus carmina.

§. 5.

Non deſunt inter recentiores ſcriptores quoque affectatores nonnulli, quorum dictionem ut ſcopulos fugere debemus. In his primum locum tenet *Lipſius*, vir quidem doctus, & cujus dictio ſuas quasdam habet & nativas Veneres, verum non publici ſaporis. ne enim hic recoquam illam *Scioppii* cramben, qui multos in illo neoteriſmos & barbariſmos notavit: ſermo in illo non eſt civiliter πεπλασμένος: nulla periodica dictio; ſine qua nulla plane eſt & futilis eloquentia: quæ in epiſtolis quodammodo laudem aliquam ferat, in ſolida vero & civili oratione plane ſit ridicula. Arcendi itaque adoleſcentuli ſunt primo il-

lo

Digitized by Google

lo tempore ab hujus auctoris lectione, ne pravum sermoni habitum induant. Alter in dictione latina affectator est *Barclajus*, in excessu peccans, ut *Lipsius* in defectu. Vt enim totum *Barclaji* argumentum, de quo scribit poëticum est, ita dictio tota est poetica, audacibus metaphoris, phrasibus nove confictis referta; etsi illustre plane in auctore hoc & argutum sit ingenium. debetur sane illis auctoribus laus sua & gloria; verum ad dictionem formandam in exemplum ponendi non sunt. Ubi autem dictio ad antiquitatis gustum semel excocta est: inservient ad elegantias, ad ornatum, & cultum Latinæ Linguæ, non tam ex lingua ipsa & è phrasibus, quam ex sententia depromendum.

CAP. VII.

De Distributione Auctorum, ratione characterum atque argumentorum.

§. I.

Vidimus quomodo auctores ratione ætatum distribuendi, unde dignoscitur latinitas, cujus illa monetæ sit, aureæ an

æneæ. Debent & distingui Auctores ratione characterum. Neque enim omnes semel simulque legi possunt, sed per gradus formanda est eloquentia, atque à simplici ad figuratam procedendum est, deinde & ratione argumentorum distingui auctores debent. Neque enim omnia promiscuè argumenta ad eloquentiam formandam vel necessaria sunt vel idonea. Quorundam argumentorum scriptores vel ob solam nomenclaturam legendi.

§. 2.

In characteribus scriptorum simpliciores sunt Dialogistæ & Epistolici scriptores. In Dialogis præter *Terentium* è Latinis laudare non possumus, etsi alius præterea hujus character sit, comicus scilicet stilus, in quo tamen ille moderatior est: ut omnia Terentiana locum non in familiari solum, sed & in civili sermone inveniant, quem non habent *Plautina*. In epistolis *Cicero* regnat, è quibus simpliciores ad tyrocinia adhibendæ. Tertius character in ordine illo, qui ἀφέλειαν quandam præ se fert, stylus est historicus: non quod ille ornari non possit & assurgere, (est enim ubi ad magnificentiam oratoriam pertingit) sed simplicior ille, quatenus in nuda narratione versatur, à nobis intelligitur: in quo verba civilis usus, neque nimium recondita, neque nimium usu

uſu vulgi trita omne ferunt punctum. In his prima lineamenta ducat *Julius Cæſar*, & *Cornelius Nepos* qui tamen illos ſimplicitatis terminos aliquantum egrediuntur.

§. 3.

Character amplus & ſublimis tamdiu ſeponendus, quoad in ſtylo puro, ſimplici & plano, ſed tamen grammatice ornato (qui ornatus conſiſtit in verborum amplificationibus, variationibus & ſynonymiis) fundamenta probe jecerimus. tum demum accedat ornatus, qui obtinetur tum membrorum dilatatione, tum à translatis ἐμφατικοτέροις & â figuris Rhetoricis & omni circumductione periodica; ut ita ſermo efformetur πεπλασμένος. Jam vero character ille non ad ſolam orationem alligatur, ſed & dialogus & epiſtola & hiſtoria ornatum majorem admittit, ſed ſui tamen generis: cujus menſura tum ex argumento, tum ex ipſius characteris indole inſtituenda eſt. Ita dialogus uberioris ac copioſioris dictionis formari poteſt, quando in materia gravi, ſublimi & civili verſamur. ita invenias nonnunquam integras declamatiunculas in dialogis Ciceronianis, & eatenus aliquid ex oratione participat. Non enim brevibus & interruptis colloquiis res agitur: ſed propoſitio aliqua per ſua enthymemata confirmatur, quod oratorium eſt, ita tamen

men circumſcriptum, ut figuris illis oratoriis vehementibus non exardeſcat. Similiter & in epiſtola tractari illuſtre argumentum poteſt. cui deducendo omnes rhetorum loculi ſunt excutiendi: quales multas apud Ciceronem invenias, in certo genere cauſæ verſantes, ubi ad probandam rem aliquam integer enthymematum apparatus proponitur. Exemplo poteſt eſſe illa, quam ad *Q. Fratrem* ſcripſit gratulatoria, de Aſiæ provincia oblata, & illa *Servii* ad *Ciceronem*, quem ob mortem *Tulliæ* conſolatur, & plurimæ aliæ. In hiſtoria, quæ ſimplicis narrationis limites excedit, apparatus oratorius omnino neceſſarius eſt: eſtque mira ſane in *Livio* ſublimitas, ſive in concionibus, ſive in deſcriptionibus locorum, perſonarum, rerum; ad menſuram tamen ſtyli hiſtorici adornata.

§. 4.

Oratorius itaque ſtylus meta eſt eloquentiæ omnis, qui ſummam illi coronidem imponit. omnia enim hic ſummo in gradu debent eſſe conſtituta. verba debent eſſe ſonora, electa, quantum fieri poteſt, polyſyllaba, aut brevia multa cumulata, & per commata quaſi conglobata; membra pro re nata & plura & magis dilatata, & periodi circumductiores: vocum inter ſe junctarum grandior quædam men-

mensura, characteres minores, quales *Hermogenes* descripsit, *varii*. jam enim dulcis debet esse oratio, jam aspera, jam brevis & intercisa, jam longa & circumducta; jam celeritate quasi currit, jam lentore quodam tenditur, prout natura affectuum vel vehementiorum vel leniorum requirit. inprimis in contentioso dicendi genere illa varia est. Figuræ accedere debent ad sermonem variæ & multiplices. Figuratus enim sermo sequitur affectus. in his unicè triumphat inter latinos Cicero, cujus vestigia sequuntur quotquot sunt veterum & recentiorum. Quicquid enim tota valuit in hac arte Græcia, ille & in Græcorum academiis & continuis exercitiis & peregrinationibus per totam Asiam institutis, & exemplo ad optimos Græcorum auctores composito, totum exhausit.

§. 5.

Character mediocris, qui medio modo se habet, inter oratoriam sublimitatem & humilem dictionem, consistit vel in Historia vel in alio quocunque gravi dicendi genere, quod regnat in subselliis consultantium, vel quo uti solemus in dissertationibus philosophicis scribendis. In his etiam Cicero pro exemplo inservire poterit, quando scilicet philosophi-

ca, aut rhetorica tractat. gravis enim tum sermone est & ad διδαξιν compositus vitat copiosum dicendi genus, minusque figuratum est & sublime: sententiis interdum magis enitet. In orationibus deliberativis brevioribus huic characteri locus est, ut qui non tam verbis diffluit, quam rerum copia & sententiarum abundat. Eorum quasi ideam invenimus in concionibus illis, quæ apud historicos reperiuntur. *Curtius* in historia hujus characteris exemplum proponere videtur. Est enim stylus ejus mediocriter verbis ornatus & sententiis gravis. *Tacitus* quoque hic prælucere poterit: si nimia illa brevitas in verbis & membris & frequentatio sententiarum immoderata evitentur. In orationibus illis alioquin exempla congesta habemus à variis auctoribus, qui ex historicis græcis & latinis orationes has in unum corpus collegerunt, magno ad omnem civilem eloquentiam usui futuras. Etiam *Seneca* in his auctoribus commendari debet. cornu enim copiæ sententiarum est. sed illæ non ita constipandæ, & aptiore verborum vinculo coërcendæ sunt: ut non de industria cumulatæ, sed è re ipsa natæ esse videantur.

§. 6.

Character floridus, qui ad poëtismum proxime accedit, aliam habet indolem, cujus

cujus uſus eſt in ſatyris ſermone ſoluto ſcriptis, ac ſimili genere. In hoc aliquid comicæ dictionis repræſentatur, qualis in *Plauto* occurrit, qui ad has Veneres præcipue commendari debet. Nam dictio comica ſalibus, facetiis conſtat, ex ingenio perſonarum formata, & poëtiſmi aliquid ſecum vehit. Huic jungas in illo genere *Petronium*, cujus ſcribendi ratio florida & elegans eſt, ac poematibus nonnunquam intermixta. *Apulejus* e veteribus, qui ad hunc characterem pertinent, etiam eſt, verum ob incultam dictionem plane fugiendus. lepidus tamen eſt in rebus fingendis, unde nonnunquam aliquid in tuos uſus capere poſſis. E recentioribus *Barclajus* eſt, elegans in hoc genere ſcriptor, ubi latinitas ejus non infecta eſt. Nitidior eſt *Janus Nicius* in Eudemia ſua, qui in hoc ſcribendi genere pulcherrimam dicendi rationem ſectatus eſt.

§. 7.

Poſſunt & ſecundum argumenta diſpeſci Auctores. Si quis enim omnem philoſophiam e Latinis ſcriptoribus diſcere velit, fontes etiam hic habebit, unde cum rerum argumentis ſimul ſtylum exerceat. In Grammaticis *Varronem* & *Feſtum* habemus. ne quid de ceteris dicam, quos uno volumine collegit *Dionyſius Gothofredus* & *Elias Put-*

ſchius. In logicis habemus *Ciceronis* Topica, ex quibus magna accedit utilitas iis, qui ad uſum rhetoricum hæc præcepta conferent. Hujus enim gratia hos libros ſcripſit. In ætate ferrea extat *Boëtius*, qui interpres *Ariſtotelicus* latinus varia hujus argumenti ſcripſit, ſed ſtylo paululum incultiori, etſi in libro de conſolatione philoſophiæ, qui proſa & ligata oratione alternatim ſcriptus & *Fizmanni* Commentario illuſtratus, cultior & floridior videtur. In Rhetoricis præceptis, annon ipſum eloquentiæ Magiſtrum Ciceronem habemus variis in libris? Et *Quintilianum*, qui ipſo *Cicerone* plenius hanc doctrinam tractavit? In quo etiam ratione ſtyli nihil deſideres. Non male enim, qui proxime poſt *Ciceronem* locandum eſſe exiſtimant. Ejus quoque declamationes & ſuaſoriæ ad gravem illam & politicam eloquentiam, de qua ſupra diximus, commendandæ.

§. 8.

Porro nulla pars philoſophiæ eſt, quam non excoluere Latini: Metaphyſica *Boetius* in ſcriptis ſuis aliqua propoſuit: Hiſtoriam naturalem pleniſſimam pertexuit *Plinius*. Phyſicam Epicuream carmine expreſſit *Lucretius*. *Mathematicam* omnem in libris ſuis pene propoſuit *Vitruvius*. Aſtronomiam *Manilius*, Muſicam *Boetius*. Philoſophiam mora-

Digitized by Google

moralem Stoicam perpetuis dissertationibus illustravit *Seneca*. Partes Philosophiæ moralis alii, ut *Cicero* doctrinam de officiis, de finibus bonorum & malorum & varia argumenta in Tusculanis quæstionibus. Civilem philosophiam idem *Cicero* libris de Republica illustraverat, qui nunc injuria temporum perierunt. Historia omnis non Romana solum sed & aliarum gentium latinis auctoribus scripta est, unde depromi possunt, quæ ad usus nostros erunt.

§. 9.

Lectio horum auctorum non debet esse tumultuaria, sed recte adornata. Præmittendi enim illi sunt, e quibus simplicem stylum formamus, purum tamen & ad genium Romanæ latinitatis. Itaque *Phædrus*, *Terentius*, *Ciceronis* epistolæ breviores, *Cornelius Nepos* inter primos esse debent. His succedant deinde epistolæ prolixiores ad familiares, & quæ in certo genere versantur. Orationes *Ciceronis* primum illæ quæ in demonstrativo & deliberativo genere versantur. Non sunt enim operosis adeo negotiorum circumstantiis implicatæ, ut orationes judiciales. In his sunt oratio *pro Archia*, *pro lege Manilia*, *Oratio post reditum in Senatu*, *& ad Quirites* habita & similes. Sunt enim facilioris imitationis, & argumentis

mentis ac enthymematibus utuntur generalioribus, quæ cuivis in promtu ſunt. Subjungantur poſtea orationes generis judicialis & contentioſi, in quibus *Cicero* omnem ſuam eloquentiam exhauſit. Plenæ enim ſunt figuris vehementibus; enthymemata pathetica, iisque ſubordinata verba & figuræ utramque implent paginam, unde demum fulminea illa eloquentiæ vis, quæ animos percellit, homines in invidiam adducit, facta exaggerat, miſericordiam movet, quaſi in theatro quodam proponitur. Et hæc ultima quaſi meta eſt dictionis latinæ. Qua in palæſtra ubi probe exercitatus fueris, ut jam modum in oratione & rebus ipſis tenere posſis, & totum ſermonem ad habitum priſci & genuini Latii compoſueris (quod ut facias quotidiana tibi erit induſtria adhibenda) tum demum evagari per omnes auctorum campos potes, & ex iis vel ſententioſa vel ornamenta, imo & formulas congerere, ita tamen ut veteri illo orationis flore conveſtias. Tum legere aliquid poteris vel e *Plinio* vel e *Tacito*, vel e *Seneca*, imo & ſequioris ætatis auctoribus, & facillimum tibi tum erit, characterum diverſitates dignoſcere, imo &, ſi velis, imitari. Rectum enim menſura curvi eſt, & qui ſimplicem normam & menſuram Romanæ latinitatis ſequutus eſt, ſtatim judicabit, ubi illa à via hac deflectat,

&

Digitized by Google

& quibus in rebus illa diverſitas conſiſtat. Nam verborum vel multiplicatio vel junctura vel membrorum inter ſe proportio, totam tibi rem ſtatim ob oculos ponit.

§. 10.

Quod in ſoluto ſermone, idem in ligato procedit. Præmittendi hic ſunt in lectione aureæ ætatis ſcriptores. In Heroico carmine *Virgilius* ſecundum Heroici carminis gradus. Simpliciores enim Eclogæ ſunt, & primo loco legendæ, hinc Georgica, inde Æneis. Notanda eſt verſuum menſura ſecundum pedes & periodos, earumque varia diverſitas, translata poëtica, quibus differt ab oratione ſoluta poëſis, ſyntaxis peculiaris & ſimilia, ut iis paulatim quoque adſueſcamus & mature hanc differentiam dictionis & ſtyli percipiamus. In elegia *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius* regnant. ex iis menſura elegiaci carminis & elegantiæ peculiares addiſcendæ. In epigrammatibus *Catullus* venuſtatem, *Martialis* acumen ſuppeditabit. In Lyricis & Satyricis *Horatius* exprimendus. Eorum carminum menſura vehementer diſcrepat; translata & phraſes ſunt audaciores: quæ diligenter notandæ ſunt: & ita quidem notari poſſunt, ut ad eorum imitationem nos ipſi interdum fingere nonnulla poſſimus: modo adverſus

linguæ

linguæ latinæ uſum ne peccemus. Ea vero translata præcipue Satyrica, cum non tam ex uſu latinæ linguæ, quam ex conceptu & phantaſia dependeant: ingenio aliquid licet. ideoque ex argutiarum fontibus etiam illa translata maximam partem dependent: ut quilibet perſpiciet, qui Satyram aliquam *Horatii* vel *Juvenalis* fugitivo oculo percurret. Ubi ex illis genuinæ & ſpectatæ latinitatis ſcriptoribus formata poëſis eſt: tum demum impune licebit per ceteros omnes vagari vel veteres vel recentiores: e quibus multi ſunt, qui Poëtis ſequioris ætatis antiquis ſunt præponendi. Dictio ex antiquis aureæ ætatis eſt formanda: translata & ornamenta quæcunque poëtica, comparationes, deſcriptiones, figuræ, etiam e recentioribus comportari poſſunt: minus enim in his, ut jam ſupra dixi, infectionis periculum eſt.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA.
DE EXCERPENDIS AUCTORIBUS,
sive
De Excerptis glossematis, Nominum, Verborum, Phrasium, Vocularum.

§. 1.

Cum in priori parte silvam quasi indicaverimus: nunc hac parte usum in digerendis materialibus ostendemus. Nam cum tantum sciamus, quantum memoria tenemus; memoria autem nostra adminiculis quibusdam adjuvari debet: (facile enim multitudine rerum obruitur) prudens consilium instituendum est de colligendis rerum lectarum thesauris, velut in promtuaria & horrea quædam, unde depromi possunt, quæ ad usus nostros faciunt. Atque hæc est velut mnemonica quædam

Digitized by Google

quædam ars, qua locos quosdam certo ordine distributos, ita nobis accommodamus, ut facili negotio invenire possimus, quibus indigemus.

§. 2.

Est vero duplex cognitio, verborum & rerum. Res iterum dispesci possunt in scientias & facta: quorum hæc ad historica pertinent, quæ à scientiis separanda sunt. De his postea agemus, prout nos manu ducunt latini auctores. nam ultra illos non ibimus.

§. 3.

Primum igitur solliciti esse debemus de excerptis quæ ad orationem spectant. In oratione autem consideranda sunt tum materialia tum formalia. Materialia remota sunt vel proxima. remota sunt verba: proxima sunt loci Enthymematum, unde inveniuntur argumenta ad probandam propositionem vel sententiam. Formalia pertinent vel ad juncturam & variationem verborum, ac dici possunt Grammatica: vel ad positum & numerum verborum; ac dici possunt vel Harmonica vel Periodica, qualia in membris & periodis spectari debent: vel pertinent ad totum systema orationis.

Suntque

Digitized by Google

Iatque 1. Amplificatoria ſententiarum particularium. 2. Methodica totius orationis, quibus colliguntur omnes illæ formulæ, quæ ad orationis partes majores atque minores connectendas pertinent. 3. Enthymematica, quæ ad Enthymematum inveſtigationem ſpectant; ſive illa ſint docentia ſine moventia & conciliantia. 4. Figurata: ſub quibus comprehenduntur figuræ variæ. de ſingulis in ſequentibus agemus.

§. 4.

Prima cura verborum erit, quæ ex Lexicographis petenda ſunt. Quoniam vero in latina lingua non ita ſunt omnia exculta, ut uni lexico confidere poſſimus, jam à prima usque ætate obſervationes inſtitui debent ſingularium latinæ linguæ, quæ apud Lexicographos non inveniuntur. Cum itaque ſermo ſecundum Ariſtotelem vel ſit πεφυκὼς vel πεπλασμένος, vel nativus ſcilicet vel formatus: nativæ & propriæ vocum ſignificationes primo tenendæ. In illis addiſcendis cum lexica, ut dixi, non ſufficiant: ex uſu, lectione, & collatione auctorum diligenti primum colligenda ſunt talia excerpta, in quibus notentur 1.) vocum propriæ acceptiones. 2.) Variæ ſignificationes. 3.) Translationes

nes, quas posteriores, si quis velit, ab his sejungere: & ad synonymorum excerpta referre potest. In his excerptis vero liberum unicuique esse potest pro fine & scopo suo, si quis ea quæ ad latinitatem qua talem, spectant, ab iis quæ mere critica & philologica videntur separare velit. Nam ad eloquentiam utilis est, si illa quæ puræ latinitati inserviunt, seorsim habeantur, ne laborem inquirentis gravent. Philologica vero & critica excerpta, quæ porprie glossemata vocare videtur *Quintilianus*, multa habent, *observatorum peregrinorum*, etiam de corruptis vocibus, barbarismis, etymologiis, observationibus ex aliis linguis, quæ si cum illis junguntur: mire omnia confundunt. Fundus horum excerptorum est, (1) in optimis classicisque auctoribus; quidquid ipsi observavimus, aliique viri docti, illuc pertinet. Modus autem observandi præscribitur quam optimè à *Schoro* in præfatione phrasium Ciceronianarum. (2) Huc pertinent Commentarii criticorum, è quibus eligendi sunt, qui ad aureæ vel argenteæ ætatis scriptores notas scripserunt, & ad genuinum vocum usum præ cæteris respiciunt. Quidquid enim illi jam tum observarunt, velut in lucro deputandum est. Itaque illa tantum notentur quam brevissimè ac velut per indicem & remissive, si ipsos auctores habeamus.

Tales

Tales ſunt ex Græcis ſingulares illæ locutiones, quas in Cicerone aliisque claſſicis auctoribus viri docti obſervarunt. Addi quoque ad hæc excerpta poſſunt ſingularia conſtructionum, parallelisſmi cum Græca vel Germanica lingua, quorum lineamenta duxerunt *Vechnerus*, *Henricus Stephanus*, *Vorſtius*. Adjici etiam poſſunt barbariſmi extantiores, in quibus colligendis poſt *Voſſium*, *Borrichium*, *Titium*, operoſus fuit *Chriſtoph. Cellarius*, cujus *Antibarbarus* & *curæ poſteriores* ſecundum alphabeti & ætatum ſeriem hæc ab oculos ponunt; quibus adjici poteſt ſi quid novi occurrat. Neque enim acta agere, aut aliorum crambem recoquere neceſſe eſt: ne nobis inutiliter operas & labores augeamus. Obſervata ſingularium vocum & phraſium, ſi ipſi peculiares libros huic negotio deſtinare nolimus, poni poſſunt ad Lexici alicujus marginem, aut ad grammatici perfecti operis, quale *Voſſianum* eſt: ita & aliorum & noſtra obſervata juncta habebimus. De Lexicis latinis alibi plenins dixi. Non eſt melius hactenus & locupletius, quam *Forum Romanum Roberti Stephani*, & quod ex illo congeſtum *Lexicon Baſileenſe*. *Buchnerus* non pauca obſervata adjecit ſuo *Fabro*, verum in phraſeologia omnino deficit. In verbis & vocabulis accurate colligendis non inutilem operam præſtitit *Kœnigius in*

Digitized by Google

Gazophylacio ſuo, in quo multa invenientes vocabula, quæ in aliis Lexicographis fruſtra quæſiveris. Si ad ſolum Ciceronem reſpexeris: *Schori Theſaurus* & phraſes, tum & *Bartholomæi Riccii apparatus latinæ linguæ* multum prodeſſe poſſunt.

Exempla excerptorum gloſſematicorum.

Talia colligi poſſunt per ſeriem Alphabeti cujus pauca exempla velut in guſtum nos daturi ſumus.

Aretalogi) qui propriè ſint videantur *Scaliger*: lection. Auſonian. l. 2. c. 5. Germanice reddas Groß-ſprecher.

Amare & diligere) ſecundum gradus differunt. Cic. l. 9. Ep. 14. ad famil. *Tantum acceſſit, ut mihi nunc demum amare videar, ante dilexiſſe.*

Amor & caritas.) quomodo differant, exprimit Cicero de Orat. columm. 229. lit. D. *Sentimus amorem conciliari, ſi id velle videare, quod ſit utile ipſis, apud quos agas, defendere; ſi aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles ſunt laborare. Namque hæc res amorem magis conciliat, illa virtutis defenſio caritatem.*

Ain tu) Formula eſt, quam dicere conſuevimus de re aliqua interrogantes, quæ ab

Digitized by Google

ab alio dicta, admiratione nos afficit. Cic. ep. 21. lib. 10. *Ain tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum fulmina?* & lib. 6. ep. 1. ad famil. *Ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse.*

Apparere) præsto alicui esse in officiis. Cic. l. 4. fam. ep. 8. in fine. *In quo scripto ille existimat, quod facile appareat; quod me colat & observet.*

Vere beatus) pro divite, pro magnifico, immo & pro mortuo apud antiquos auctores accipitur.

Cupido & amor) differunt. Cupido inconsideratæ est necessitatis, amor judicii, Plaut. in Bacch.

Cupido te conficit, anne amor?

Commodus homo) cujus graphica descriptio apud *Plautum* est in Mil. Act. III. sc. 1. Ein bequemer und diensthaffter Mensch: Un homme conplaisant.

Collatinus venter) i.e. magnus & turgidus, quia in eum omnia edulia conferuntur.

Carmen) pro verbis & effatis solemnibus; ita apud *Livium* Lex horrendi carminis.

Circumvenire) pro munire. Cæsar lib. 2. de bell. civ.

Curio vallo Uticam circumvenire instituit.

Canalicolæ) homines forenses pauperes, qui circa fori canalem consisterent. Vid. Lips. in electis cap. II. l. III. inde fortè *Canaille.*

Digitized by Google

Devotus & defixus) qui per maleficium impotens factus est, apud historiæ augustæ scriptores.

Domi doctus) quod Græci dicunt αὐτοδίδακτος. *Plautus* multis in locis.

Emimius) pro exemptus. *Terentius* in Heav. Act. I. sc. 1. v. 9. Ut eximium neminem habeam.

Evocati milites) sunt emeriti qui deinde iterum à ducibus vocabantur, ob rei militaris scientiam. Multa sunt apud Ciceronem & Cæsarem loca.

Extollere) pro differre. Plaut. Res serias omnes extollere ex hoc die in alium diem.

Facile) pro vere vel sine controversia: ut facile primus. Cicero in Ep. ad Quint. Frat. *Quo in fundo facile multa millia hominum versabuntur.*

Frigus) pro odio vel tenui gratia. *Terentius. Nimirum hic homines frigent, id est, non placent non valent gratia.*

Homo factiosus) i. e. dives, nobilis, potens.

Factiosi lingua) largiloqui & dites ad promittendum vide *Muretum* var. lect. lib. X. cap. III.

Gliscere) i. e. augescere. *Plaut. Pulchre gliscit prælium, gliscit rabies.*

Grandis) vox peculiaribus de frugibus & oleribus dicitur. Hinc *grandes fruges, grandia poma.*

Homi-

Digitized by Google

Homines) vocabantur qui pertinent ad domum alicujus Vid. Scalig. Lect. Auson. l. 1. Cap. 28. ita servi antiquis vocabantur. Cic. *Homines nostros vocat cives*.

Honos) significat (1) præmia, ut apud Cic. *honos Medico est habitus*. l. XVI. Ter. Eunuch. *Hic pro illo* munere tibi honos est habitus. Atque in hoc sensu semper honos non honor dicitur. (2) Significat Magistratum seu dignitatem, ut plurimum in numero plurali. (3) Significationem honoris extremam seu observantiam, quæ gloriam, potentiam, & divitias comitari solet.

Insanire) id est, magnificos sumptus in rem aliquam impendere citra necessiitatem. Cic. *in Tusculano meo cœpi insanire*. Hoc sensu iuterpretandum est illud *Plinii*, *optimum est aliena insania frui*, id est, sumptuosa ædificia ab aliis magno labore exstructa vili pretio inhabitare. Vid. Taubm. ad Plaut. mil. glor. act. 3. sc. 1. v. 159.

Infelicia ligna) dicuntur, quibus aliquis se suspendit. Ita *Catullus* vocat infelicia ligna, quæ essent ustura annales *Volusi*.

Ineptus) elegans apud latinos vox est, quam tota Græcia non exprimit, de qua voce integram orationem habuit *Julius Cæsar Scaliger*.

Latrare) pro poscere, usurpatur apud *Lucretium*: *Nihil aliud sibi naturam latrare*.

Leno) pro *Legato Justinus* : Præmissis lenonibus, qui hostibus legem indicerent. Mirum sane vocem lenonis flagitiosam in re honesta usurpari. vocem conciliator & conciliatrix per se honestas ad turpe Veneris ministerium applicari.

Lucrari peccata , Lucri facere injuriam) Cicero et alii usurpant pro peccatum vel injuriam impune committere.

Malo tuo) vetus formula. Es stehe auf deine Verantwortung, auf deinen Kopff.

Manu omnia regere) id est, per vim.

Matrimonium) interdum significat bona materna, ut patrimonium bona paterna. Valerius Maximus, l. 7. c. 8.

Migrare) pro mutare usurpatur, ut migrare leges, jura.

Notarii) qui propriè dicebantur, vide Scaligerum notis ad epigr. 137. Ausonii, & *Meibomium* in *Mæcenate*.

Nox) pro concubitu usurpatur, ut noctem aliquam orare, polliceri noctem, spem noctis emere, testamenta mereri noctibus, apud *Juvenalem*; *locare noctes, negare noctes*, dare.

Nego me fecisse, latinè dicitur, non item: dico me non fecisse.

Orare) pro eo quod vulgo promovere dicitur.

Obnoxii) dicuntur 1) qui ob culpam alicui dantur & in ejus potentiam se tradunt.

2)

Digitized by Google

2) qui ob aliquod beneficium ſe alicui devinciunt.

Omnino) uſurpatur pro illo, quod dicere ſolemus: in ſumma.

Officium) hæc vox varias acceptiones habet (1) pro curis funebribus & nuptialibus. (2) pro cura balneatoria; hinc officioſus dicitur qui veſtimenta ſervat in balneis, ipſa lavatio *officium*, *ab officio* vero poſt lavationem. (3) Pro officiis vel aliis artibus & ſtudiis, Handthierung, ut ſervorum officia fungere. (4) Pro beneficio, ut apud *Catullum* lib. 4. diſt. 43. ubi *officiperda* dicitur, in quem beneficia ingeſta tanquam in dolium rimoſum effluunt. (5) Pro munere & functione. hinc vox illa pro perſona ipſa ſæpe uſurpatur. (6) Pro eo quod fieri debet, ut Cicero de offic. ſcribit. Galli: *devoir*. (7) In re venerea, vid. *Erhardum* in *Petronium* p. 698.

Protelare) eſt abigere & longe propellere, vid. Comment. ad *Terentii Phormionem* Act. I. ſc. 4.

Præcipere) Vorwegnehmen, præcipere animo, id eſt, conjectando aſſequi.

Pedes) vocantur ſervi apud *Martialem* Epigr. in Zoil. l. 3.

Recte) formulam hanc uſurpabant veteres cum negare vellent, negationis tamen particulam exprimere nollent. Ter. Hecyræ. Act. 3. ſc. 2. *Quid eſt tam triſtis?*

Digitized by Google

Paneph. *Recte mater.* Ubi *Donatus:* sic loquimur, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus: eodem modo usurpatur *Bene.*

Revenire domum) id est, redire domum. *Plautus* Amphit. & *Cicero* II. de orat. *cum miles domum revenisset.*

Raptare pro moecho, pro scelesto, id est, conviciari. Usurpatur etiam absolute apud *Plautum: quid me afflictas? quid me raptas?*

Spurca vina) dicuntur quæ aqua sunt mista. *Festus:*

Spurcare vinum) i. e. aqua infusa vitiare.

Studere) pro properea usurpatur passim apud bonos auctores: ita *Cæsar* de Bello Civil. l. I. c. 4. *Rem ad arma deduci studebant.* Frequens hæc locutio est apud *Cornelium Nepotem.*

Stata forma) nec nimis pulchra, nec nimis deformis, vid. *Gellium,* l. 5. c. 11.

Tempus) pro circumstantia omni ponitur sæpe. Ita *Cicero: Quibus in omnibus quid tempora petant, aut quid personis dignum sit considerandum est;* Et in officiis: *Ea cum tempore commutantur.*

Tanti est.) Es ist der Mühe wohl werth, sæpissime legitur apud *Ciceronem.*

Vara vibiam sequitur. de hujus proverbii sensu vide *Scaligeri* lectiones Ausonianas lib. I. cap. 18. Addatur Lex. Fabro-Buchner. in *Vibia.*

Vivum

Digitized by Google

Vivum Capital. *Cicero pro Flacco Dat de lucro, nihil ditrabit de vivo*; & in Verrem actione V. *Erat aliquid de vivo resecandum.* metaphora est desumta à sectione unguium, in quibus illud quod prominet siccum, quod carni junctum est vivum dicitur: vel etiam de arboribus.

Venilia, salacia, biduna, malina,) Priora vocabula significant accessum & recessum maris, Fluth und Ebbe. Atque hæc antiqua nomina sunt, quæ postea à Romanis inGermaniam verientibus mutata sunt in *malinam* & *bidunam.* Vid. Joseph. *Scaliger*, in appendice ad conjectanea in *Verronem.*

Vecordia) est animus pravus, malignus & inhumanus. Id enim propriè notat. Notat etiam quamvis amentiam.

Atque hoc quasi specimen est excerptorum Glossematicorum, & tenue quasi radimentum, verum longe plura sunt, quæ sub observationes cadunt, quam simplices illæ significationes vel propriæ vel translatæ. Potest enim non vocum tantum, sed & particularum usus multis modis considerari, prout vel absolute ponitur vel subjecto jungitur: vel denique ad circumstantiam loci & temporis respicit; vel si ad totam enunciationem pertinet ut prædicatum, si affirmativo, si negativo sensu usurpatur. In his credi non potest, quid continua observatione notari possit, vel

illa

illa melius ipso usu addiscentur, quam exemplorum multitudine.

Nos jam procedimus ad excerpta illa, quæ ad sermonem πεπλασμενον pertinent.

Variatio itaque vocum primus ad copiam gradus est, & ad hanc variationem obtinendam collectanea instituti possunt, quibus illa sermonis copia parari potest. Prima enim est verborum, hinc sensuum ἰσοδυναμία: & illa quidem hanc præcedit. Instituendus itaque est apparatus Synonymicus tum nominum, tum verborum & phrasium, tum particularum.

Synonymica nominum, seu verborum simplicium, primum dicentur in ipsis nomenclaturis, ac continebuntur sub illo titulo: non illa tamen tantum, quæ Synonyma sunt, sed etiam quæcunque cognata & affinia. Namque in varianda & amplificanda oratione magnus eorum usus est, proderitque si jam inde a pueris illa Synonyma simul posita habeamus, imo ediscamus: & succurrent illa memoriæ, quando in argumento simili versamur. Eo consilio *Joannes Benzius Nomenclatorem latinum* omniaque vocabula & verba in 76. locos divisit atque in singulis locis primo synonyma posuit, deinde cognata & affinia, adjuncta, actiones: ut itaque, si omnia simul oculis subjiciantur, promtior singulorum usus in oratione ipsa sit. Vocabulario

lario enim ſimplici ſubjecit illud compendium puræ latinitatis, ut vocat, alterum, in qua phraſeologica omnia ſecundum hos locos diſpoſuit: quod & in græca lingua fecit majori in forma libro Baſileæ edito. Et hos quidem locos ſi quis a prima pueritia animo bene comprehenderit, quoniam illi ſemel in memoria hærent, ſucceſſu temporis hos quaſi perpetuos locos communes circumferet, & ubi ad argumentum tale aliquod de venerit, ſtatim ipſi omnia hæc ſuccurrent.

Habemus alioquin ſingulares libros, quibus colliguntur ſynonyma, id eſt, tales voces & phraſes, quæ unum idemque ſignificantes conjungi ſolent in oratione ad explendum numerum cujus ſpecimen exhibuit *Stephanus Ubelius* in *Synonymis* Ciceronianis, habemus qui collegerint ſingularibus libris epitheta tam adjectiva, tum adverbialia, ut fecit in Epithetis Ciceronis, *Nunneſius* & *Hubertus*, *Suſannæus in connubio adverbiorum Ciceronianorum*: denique & antitheta, quæ ſimul jungi ſolent in oratione, à *Gambarella* collecta ſunt, quæ ſingularem in his excerpendi rationem monſtrant, & poſſunt illa vel ſingulis libris congeri vel junctim coàcervari, ut fecit *Bentzius*; quamquam ille non poſuit, ut ad jungendam orationem ordinantur, ſed ſeparatim, vel deni-

Digitized by Google

denique ad margines horum auctorum, qui de singulis separatim egerunt, adjici. Phraselogicæ collectiones multæ sunt a variis institutæ sub titulis universalibus & generalibus. Verum omnibus præferri debet *Schônslederus* in suo eloquentiæ apparatu. nam *Pareus*, qui *Calligraphiam* scripsit, eodem consilio & instituto, confusus valde & perturbatus est. Hunc itaque *Schönslederum* familiarem nobis reddamus, & ad ejus methodum colligamus, quæ illic non continentur, quod fiet vel libro separato, vel charta insititia; longe einm plura inveniuntur apud Auctores quæ huc spectant. Præ cœteris vero ad translata nobis respiciendum est, illa extollunt orationem vehementer, ac enim si separato libro illa colligere nolimus, alio colore distinguere possumus.

Denique & *variatio particularum colligenda est*: ut sciamus quomodo particulis in connectenda periodo uti possimus, ita ut non eadem recurrant semper. In his utilissimam operam præstitit *Elias Major*, cujus extat liber postumus de *varianda oratione*, in quibus non particularum tantum sed & omnium orationis partium variationes ex optimis auctoribus per exempla collecta sunt; ad cujus exemplum nos etiam e bonis auctoribus colligemus vel ad marginem libri adscribemus.

Vi-

Vidimus de excerptis & collectaneis circa variationem Nominum, verborum, phrasium & particularum. sequuntur jam integræ sententiæ, quæ constant subjecto & prædicato. earum quoque variationes multæ sunt. Nam vel synonymice vel dialecticè ex locis scilicet circumstantiarum vel figuratè variantur. In quibus omnibus discrimen nunc non faciemus. Singulæ enim ad sermonem πεπλασμένον & orationem justam pertinent; & solent tales variationes plerumque periodo absolvi: nisi fortassis sententiæ illæ non sint natura periodicæ. Collectanea harum sententiarum amplificantium maximum in oratione usum præstant, cum ad enthymemata argumentaque, tam moventia quam conciliantia adhibentur. Nemo hactenus fuit, qui operam his impenderit: nisi quod *Nicasius Baxius* Jesuita tales sententias amplificantes exiguo libello è *Cicerone* collegerit: quibus infinita alia addi possunt. Si quis ordinem in illis sequi velit; neque fortuita hæc collectanea, prout ex auctoribus se offerunt: is locos illos *Benzii*, quos in simplicibus nomenclaturis & phraseologia usurpavit, sequi poterit.

§. II.

Aliæ sunt *sententiarum variationes*, quas argu-

argutas dicere possumus, quæ singulari libello à prioribus separandæ sunt: quando nimirum sententia aliqua, per elegans aliquod Simile, Adagium aut adagiale effatum variari solet. Solent quidem sub certis titulis simplicibus adagia colligi, ut collecta habemus Erasmiana, quæ & *Langius*, separato libello ad locos Sturmianos vel *Benzianos* redegit. Verum tituli illi non sufficiunt. Solent enim in adagio aliquo & subjectum & prædicatum involvi; adeoque integra sententia exhiberi, quæ sub generalissimo titulo subjecta diffuse nimis quæritur, nisi velimus unum idemque adagium sub duplicem, imo interdnm sub triplicem titulum referre. Nam vel ad subjectum enunciationis vel ad prædicatum referendum est, vel ad tertium aliquem conceptum, qui è connexione subjecti & prædicati oritur. Ne itaque in vasta sylva quærere necessum sit, quod ad scopum nostrum facit: præstat titulos vel lemmata sententiosa formare, quæ integram sententiam exhibeant; vel subjectum potest per additionem alicujus adjectivi ad certum aliquem & plenum sensum restringi. Ad hæc itaque collectanea referenda sunt (1) omnia adagia è Veteribus auctoribus. (2) omnia adagialia, & *παροιμιοδη* ex omnibus auctoribus cujuscunque ætatis aut linguæ, præcipue tamen græcæ

&

Digitized by Google

& latinæ; quanquam & ceteræ linguæ maximam ſubminiſtrent talium copiam: quæ ſine ullo ordine collegerunt varii auctores. *Gruterus* in *Florilegio ſuo Ethico-Politico*, in 4to. qui ex omnibus linguis adagiorum corpus collegit. (3) Omnia Hemiſtichia vel verſus Græci & Latini, qui argutiorem ſenſum habent. Qualia infinita ſunt apud Poëtas Græcos & Latinos, præprimis apud Satyricos & Comicos, quorum uſus in his omnibus longe eſt maximus; & qui ſæpe de rebus conceptus formant, quos non temere apud alios quæſiveris. Exemplum ejus ſuppeditare poteſt *Rothmarus* in *Centuriis proverbiorum Virgilianorum*.

§. 12.

Ut exemplum aliquod talium excerptorum exhibeamus: ſumamus aliquas ſatyras Horatianas & ex illis notemus adagialia iſta, Sat. I. l. 1. agit de *μεμψιμοιρία*, ſuæ ſortis faſtidio, querela de ſorte ſua ſive fortuna, quod nemo ſit ſua ſorte contentus: è qua hæc noſter:

Cætera de genere hoc (video ſunt multa,) loquacem
Delaſſare valent Fabium.

Referri poteſt ſub titulum prolixitatis, vel ſi integrum lemma malis, *Res prolixa eſt*.

Si quis Deus, en ego, dicat,
Jam faciam quod vultis.

Poteſt ſub titulo referri, *quid ſi ita fiat, vel ratihabitionis.*

Quid cauſæ eſt merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet.

Referri poteſt ad tit: *Principum malam gratiam referres.*

Ridentem dicere verum quid vetat?

Tit: *è jocis ſeria.*

Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Tit. *blanditiæ utiles.*

Ore trahit, quicunque poteſt atque addit acervo,

Potes eleganter applicare ad *hominem δωροφάγον*, rapacem & avarum, ſubſtituendo voci *ore* vocem *ungue.*

Non uſquam prorepit;

Eleganter applicari poteſt ad hominem diligentem, & in diſcendo & ſtudiis conſtantem, ſi leviter ſic immutares:

Non uſquam prorepis & illis uteris ante
Quæſitis ſapiens; nam te neque fervidus æſtus
Demoveant ſtudiis, neque hyems, ignis, mare, ferrum.

Nil

Digitized by Google

Nil obstat, tibi dum ne sit te doctior alter.

Quid juvat immensum te argenti pondus & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

Tit. *Eruditio occulta.* potest etiam applicari ad L. L. C. C. collectores, opere ipso ignaros.

Quid habet pulchri constructus acervus?

Potest referri ad malos scriptores, non nisi locos communes cumulantes, exiguo vero judicio præditos. Titulus esse potest *collectio inutilis.*

Cur tua plus laudas cameris granaria nostris?

Elegans adagium, quo contemnenti nostram inopiam respondere possimus. Cui quodammodo respondet illud Germanicum, Ich halte meinen Pfeffer so gut, als du deinen Saffran. Quanquam hic ad copiam potius, quam ad qualitatem respicitur. Tit. αὐταρκειας continentiæ, Vergnügsamkeit.

Quia tanti quantum habeas sis.

Potest referri ad titulum *Divitiarum & autoritatis*, so viel Guth, so viel Muth und Ansehen.

Quid facias illi? jubeas miserum esse libenter
Quatenus id facit.

Referri potest ad titulum *contemnendi vel permittendi*, permitte illum suo genio vivere.

Digitized by Google

Populus me sibilat: at mihi plaudo.

Solitariè accepta propositio, referri potest ad *hominem arrogantem*, qui judicium populi de se contemnit, αὐθάδην sibi placentem, præfactum, contumacem.

tu tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Potest referri ad tit. avaritiæ, aut *inutilis parsimoniæ*, sive non uti rebus ad usum destinatis; pene convenit germanicum. Du siehest es an wie die Kuh das neue Thor, oder du verwahrest es wie ein Heiligthum.

Horum semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Tit. *contemnendi ut bonum inutile.*

Infelix operam perdas: ut si quis asellum,
In campo doceat parentem currere frenis.

Potest referri ad varia, (1) ad tit. *frustranei laboris*, (2) ad tit. institutio infelix. Als wenn einer mit dem Esel nach dem Tournier rennen wollte.

pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere?

ad tit. *contradicis tibi ipsi.*

Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli.

ad tit. *Differentiæ vel diversitatis vel medium eligendum est.*

Nemo

Nemo se probet ac laudet diversa sequentes potest referri ad tit. *Φιλαυτίας.*

Exacto contentus tempore vitæ
Cedat uti conviva satur.

ad tit. *Beatæ mortis.*

CAP. II.

DE

EXCERPTIS RHETORICIS.

§. I.

Procedimus ad excerpta Rhetorica, quæ ad orationem justam formandam pertinent, & hæc quidem distribui possunt secundum suos characteres. alius enim simplex est: alius copiosior & ornatior. simplex dicendi genus est in Dialogis & Epistolis, & habent illi peculiarem aliquem genium atque indolem, secundum quam institui debent. Quod ad dialogos attinet, præcipuum hic est connectendi methodus, quæ consistit in formulis mutuæ sermocinationis, quales colligi debent è

Digitized by Google

comicis & Dialogorum ſcriptoribus; ideoque tales formularum tituli concinnandi ſunt: quales neminem hactenus concepiſſe memini. in animo quidem habuit Starckius. nam in appendice formularum epiſtolarium promiſit tales formularum locos communes, qui vero in lucem hactenus non prodierunt. Solus ille titulorum ſyllabus, quanquam mancus eſt & imperfectus, libello ejus de ſtylo ſubjunctus eſt: qui quoniam non in omnium manibus verſatur, ex illo titulos excerpemus, ut uſui eſſe posſint illis, qui talia collectanea inſtituere nolunt: ſunt vero iſti.

Loci Colloquiorum.

1. In initio: Præparatio ad congreſſum & colloquium.

Salutandi. Reſpondendi ad Salutationem.

Salutatio perverſa & jocoſa. Reſp. aliena ad ſalutationem.

Gratulandi de adventu: It. ad amicum diu exſpectatum & deſideratum. Reſp. ad gratulationem.

Quid agis? quomodo vales?

Bene valeo. Mediocriter valeo.

Gaudium de valetudine & proſpero ſtatu.

Male

Male valeo.

Dolor de invaletudine it. de adverſo alterius ſtatu.

Cur es laetus? Cur es triſtis?

Eſt, quod tecum loquar. Ut ſcias. Quid vis? quid eſt?

Non eſt mihi otium. Sine me ire.

Breviter dic. Attende: Tace. Reſp. attendo: dic.

Quærendi, interrogandi. Scire cupio.

Reſpondendi interroganti.

Reſponſio vel oratio perplexa, obliqua, aliena, moroſa. It.

Reſponſio ad orationem perplexam.

Reſpondendi pro alio.

Reſponſionis recuſatio.

Audiſne? Quid taces? Dic. inſtandi, ut dicat. Audio.

Quid dicin? Tace, Vnde venis?

Quo tendis? Vbi fuiſti? Quærendi, inveſtigandi perſonam vel rem.

Reſpondendi quærenti.

Eſtne domi? Quid agis?

Quid incipis? Quæ cauſa?

Quid ita? Quæ tibi vis? esne ſanus, an inſanus? Ad peregrinum vel inſperatum.

Dic vere, noli mentiri.

Verum dico, non mentior.

Adventus opportunus, gratus. Adventus importunus, ingratus. Noſtin eum?

Digitized by Google

Novi. Colloquium arcanum. Cave, ne cuiquam dicas. Tacebo, nemini dicam. Divulgandi, patefaciendi, prodendi.

In medio Colloquiorum.

Propositio, Narratio, connexiones, transitiones,
Personæ commendatio,
Personæ commendatio Ironica,
Feminæ commendatio,
Personæ vituperatio,
Feminæ vituperatio.
Accusatio, objurgatio.
Defensio, purgatio, excusatio,
Facti approbatio, laus.
Dictorum approbatio.
Dictorum improbatio.
Repetitio, ταυτολογια, quoties dicam? millies audivi. satis scio.
Interpellandi.
Non intelligis?
Intelligo, manifestum.
Non intelligo, obscurum.
Scisne? scisne an?
Scio.
Nescio, ignoro
Certane hæc sunt?
Affirmandi. Certa vera sunt.
Negandi, falsa.
Dubitandi, incertum.

Cre.

Credere, fidem habere.
Diffidere, non credere.
Admirandi, mirum.
Titubatio in sermone, correctio.
Petendi pro se & aliis.
Respondendi ad petitionem affirmative.
Resp. ad petitionem negative.
Gratias agendi, prædicandi officia.
Responsio ad gratiarum actionem.
Extenuandi sua officia.
Pollicitatio amicitiæ & officiorum.
Amicitiam & favorem alicujus petendi.
Respondendi ad petitionem amicitiæ.
Mandatum.
Respondendi ad mandatum, obsequendi.
Consentiendi.
Repugnandi, dissentiendi.
Laudandi alicujus ingenium, virtutes, doctrinam.
Respondendi ad sui laudationem, extenuandi se.
Quærendi.
Condolendi.
Consolandi.
Respondendi ad Consolationem.
Gratulandi.
Respondendi ad gratulationem
Formulæ Jocorum & facetiarum promiscue.
Optandi, votum.
Imprecandi sibi.

Digitized by Google

Imprecandi aliis.
Nunciandi læta.
Respondendi ad lætum nuncium.
Nunciandi tristia, adversa.
Respondendi ad tristem nuncium.
Præteritio, alias dicam.
Comminandi.
Comminationes jocosæ.
Respondendi ad comminationes.
Consilium petendi.
Suadendi.
Dissuadendi.
Consilium approbandi.
Consilium improbandi.
Concedendi.

3. In fine Colloquiorum.

Conclusio.

Abrumpendi colloquium formulæ promiscuæ.

Abrumpendi colloquium formulae speciales.

1 Ne me diutius detine. Non diutius vacat.
2 Tempus est abire.
3 Res non indiget longiori sermone.
4 Nunquid aliud me vis?

Excusatio colloquii propter tenuitatem & moram.

Responsio ad excusationem.

Pol-

Pollicendi in fine amorem & officia.
Respondendi ad pollicitationem.
Vota in digressu, discessu.
Redi ad me.
Petendi, ut sæpe nos visat.
Responsio ad petitionem accessus.
Mox redibo.
Valedicendi, dimittendi.
Responsio ad valedictionem & dimissionem.
Valedictionis repudiatio.
Valedictio iratorum & inimicorum.
Abi. Mane domi.

§. 2.

Sub his titulis formularum dialogisticarum colligi possunt è Ciceronis dialogis, è Plauti, ex Terentii comœdiis, item ex aliis quibusdam recentioribus, qui Dialogos scripserunt, Formulæ. ita facilior erit Dialogorum concinnatio, de quorum conficiendorum ratione *Carolus Sigonius* singulari libro egit.

§. 3.

A dialogis procedimus ad Epistolas, quod alterum genus est dictionis simplicioris etsi nonnunquam pro re nata stilus exaltari possit, si ad viros illustres scribamus,

&

& argumentum epiſtolæ ita efflagitet, ut in dedicatoriis, gratulatoriis. Collectanea in his duplicis generis formari poſſunt, materialia ſcilicet & formalia. Debent itaque ſub titulis generum epiſtolicorum, ut petitoriorum, ſuaſoriorum, adhortatoriorum &c. colligi ex auctoribus argumenta, ſuper quibus tales epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Qualia collectanea ex epiſtolis Ciceronis inſtituit BUCHLERUS, quibus tamen nos jungere poſſumus alias ex bonis auctoribus, tam veteribus, quam recentioribus epiſtolas. Subjicere etiam poſſumus collectanea argumentorum & enthymematum, quæ in ſingulis epiſtolis tam *Ciceronis* quam aliorum adhibentur: ita tamen ut per indicem tantum excerpamus. Qua in re viam utiliter præivit *Melchior Junius* in Scholis Rhetoricis de conficiendis epiſtolis, qui liber magni ad contexendas epiſtolas, uſus eſt Si enim e.g. conſolatoriam ſcripturus es: invenies illic omnia argumenta, quæ in hoc genere uſurpari poſſunt collecta: notatis ſemper locis, ubi illa in Ciceronis epiſtolis occurrant. Ita ſcripturus epiſtolam, & ſimili argumento uſurus, ex tot enthymematum exemplis, unum idemque ſenſum exprimentibus, facile imitationis beneficio tuæ quodammodo omnia propones, amputando, amplificando, condenſando prout commodum tibi videbitur. Atque ita pri-

Digitized by Google

primum ego informari juvenes in epistolicis exercitiis velim, ubi rhetorices tyrocinia posuere. Neque ex solo Cicerone talia collectanea instituti possunt, sed ex aliis scriptoribus tum veteribus tum recentioribus.

Materialibus collectaneis subjicienda sunt formalia. Sub istis autem comprehendo omne illud, quod ad formulas pertinet, quod præcipuum pene in epistola est; adeo ut interdum solæ formulæ literas absolvant: præcipue si sint salutatoriæ sive Complimenten-Schreiben neque in certo aliquo genere versentur. & illæ quidem formulæ vel ad nexum partium in epistolis spectant, ut sunt formulæ exordiendi, connectendi, transeundi ab argumento ad argumentum & similes. vel sunt in se argumenta ethica & pathetica: quibus præcipue illa & Logica argumenta quasi investire solemus. Horum collectaneorum rationem accuratam instituit *Starckius* in thesauro suo epistolarum, ubi omne illud quod ad formulas spectat, sub certis suis titulis generalibus & specialibus repositum est: quibus addi etiam aliqui tituli possunt, qui forte in epistolis occurrunt: sed pauci illi erunt. Nam satis uberem ille apparatum suppeditavit. Formulæ tamen longe plures vel è solo Cicerone colligi possunt. nam multas ille prætermisit. E recentioribus scriptoribus, qui castam satis latini-

Digitized by Google

tinitatem ſervant, ut *Manutio*, *Paleario*, *Bunello*, *Balzacco*, aliisque auctoribus etiam Gallicis longe plura colligi poſſunt. Poſſunt & addi, quæ *Rupertus* in Mercurio ſuo epiſtolari è *Scaligero*, *Caſaubono*, *Wowerio* aliisque collegit, etſi illa non ſunt cum prioribus comparanda. Nitidior enim in illis dictio latina eſt; quanquam & hic non tam ſemper ad dictionem, quam ad ſenſum & argumenta reſpicere ſolemus.

Excerpta oratoria varia eſſe poſſunt: generatim (1) ad formam excerptorum diſciplinarium, de quibus infra, inſtitui poſſunt, ſed illa ad uſum & elaborationem orationis non pertinent, atque iis tantum uſui eſſe poſſunt, qui in Rhetoricis aliquid moliuntur. Videbimus itaque illa quorum uſus quotidianus eſt, & quidem (1) inſtitui poſſunt Loci communes theſium, rerumque omnium, quæ quomodocunque ad orationes ſpectant, aut oratione proponi ſolent, cujuscunque generis. Inſtitui vero illa collectio theſium ſecundum cauſarum genera poteſt. Cum enim Objectum rhetorices ſit quæſtio quælibet, præſertim civilis, illa vero duplex ſit, infinita vel finita; Infinita vero theſis dicatur, finita hypotheſis, & ab hac ad illam plerumque progrediatur orator, atque ex theſi argumenta deſumat ad hypotheſin ſuam probandam; conſequens eſt, quo quis in the-

ſibus

ſibus earumque argumentis verſatior ſit, eo majorem inventionis copiam habiturum: ideoque mature talium theſium excerpta inſtituantur, quæ non in civilibus ſolum, ſed etiam in eccleſiaſtici argumenti orationibus ſuam utilitatem exſerent. Nam iidem fontes ſunt ſive ad virtutes civiles, ſive ad ſacras reſpiciamus; niſi quod illud diſcrimen obſervari debet, ut in theſibus civilibus enthymemata è prudentia morali & civili depromta colligamus, in ſacris & illa & inartificialia argumenta è dictis ſcripturæ petita. Vidit jam hujus rei utilitatem *Baco Verulamius* in libro ſuo de augmentis ſcientiarum, ubi ſpecimen aliquod talium theſium & antitheſium proponit. Idem quoque negocium *Schraderus* in commentario in Rhet. Ariſtotelis commendat. In demonſtrativo genere colligemus ea, quæ vel laudantur vel vituperantur vel ſimpliciter vel comparate. Fundus earum rerum ſit in omnibus orationibus vel diſſertationibus, quomodocunque aliquid laudant vel reprehendunt. Poſſunt & in ſubſidium vocari poëtæ; nam ex iis & mutuare poteſt orator. In genere deliberativo colligi poſſunt theſes ad conſultationem ſpectantes: ideoque hic excutienda ſunt illa themata, quæ apud Oratores & hiſtoricos diſceptantur. ſingulis illis ſubjici argumenta poſſunt. Exemplum horum locorum com-

Digitized by Google

communium quadam ex parte subministrare potest *Melchior Junius* in resolutione orationum Ciceronis, ubi secundum tria causarum genera orationes Ciceronis disponit, & secundum partes oratorias, omnes ejusdem generis orationes examinat. sed ille ex solo Cicerone sua tantum congessit, & partes orationis in fronte posuit, secundum quas collegit argumenta illa Ciceroniana.

Ejus itaque scopus potissimus est, docere quomodo partes & argumenta in quacunque oratione sint formanda & collocanda. pertinebit itaque potissimum labor iste ad formulas & argumentorum inventionem, de quibus collectaneis postea dicemus. In genere judiciali, eius hodie exiguus usus, aliquis tamen in argumentis affinibus, ut si expostulationes, exprobrationes &c. instituendæ sint. Colligemus varia genera criminum, de quibus institui exprobrationes vel accusationes solent, & notabimus sub illis varia argumenta, quæ ad illa probanda adhiberi solent. Locos communes defensionum colligere possumus, quorum magnus apud Ciceronem cumulus est; nunc quidem illorum non adeo magnus est usus, cum eloquentia forensis desierit, JCti vero & Advocati non tam per eloquentiæ subsidia, quam per disputationes forenses omnia proponant. In ecclesiasticis non contemnendus

dus his generis usus est, cum vitia reprehendimus, & vitiosos homines oratione nostra coarguimus: tum enim communia illa argumenta, quæ Oratori civili prosunt, facili negotio in sacra converti possunt: omnis enim illa doctrina statuum, qui in hoc genere occurrunt, mirifice inservire huic scopo potest. ut si proponam Adamum adversus mandatum Dei de vetita arbore comedentem, Cainum fratricidam, Judæos adversus Christum disputantes, imo totum illum Judæorum adversus Christum processum.

§. 6.

Subjungi his excerptis potest codex formularum oratoriarum, qui sane utilissimus est ad orationes scribendas. Nullum vero adhuc habemus, qui hac in re quicquam præstiterit. Est quidem *Meyfarti* alicujus mellificium oratorium, sed cura tumultuaria è non optimæ notæ auctoribus congestum. Sunt formulæ connexionum transitionumque ab Ivaro Petro Adolpho *Clarkio* aliisque collectæ: verum postremus ille multa admiscuit pravi gustus & è lacunis hausta. Promiserat *Starckius* olim tales locos communes, quemadmodum conceperat epistolicos & dialogicos suos; sed isti lucem non viderunt:

ſi quis autem illos inſtituere velit: titulos poſſet collocare primum generaliores partes orationis, deinde ſpecialiores, quæ ſub partibus illis continentur, & formulas ad illas ſpeciales partes referre, quorum locorum communium rudimentum ſubminiſtrare poterit *Melchior Junius* in modo laudata illa reſolutione orationum Ciceronianarum: nam è lectione orationum concinnari debent. Ac videmus ipſum etiam Ciceronem talibus formularum collectaneis fuiſſe uſum. Aperte enim de ſe ipſo ſcribit, *ſe codicem habuiſſe*, quibus collegerat varias exordiorum formulas, ut cum orationi ſcribendæ accingeretur , inde quæ in ſuum eſſent uſum depromeret. Teſtatur etiam Quintilianus, cauſarum Patronos tales in promptu habuiſſe formulas, quibus illi ut Delphico quodam gladio uterentur. Non immerito ab illo idcirco reprehenſi, non quod his ſubſidiis, ſed quod inepte uterentur, & in locis communibus ſubſiſterent, cum ſpecialiora argumenta requirerentur. Quod attinet ad connexiones: illarum uſus frequentiſſimus eſt in oratione, ideoque ſuaſerim illas ſeorſim eſſe colligendas, primum per particulas in membris minoribus vel majoribus; deinde per figuras: nam de formulis in codice formularum ſolliciti ſumus, neque tam connexionem

xionem

xionem, quam transitionem facit formula. Particularum usum in connexionibus præ cœteris observare debemus. Nam latissime patet earum usus, & ex his, velut quibusdam characterismis notare genium linguæ possumus. De his agit *JACOBUS HUGUES* in artificio transitionum & connexionum; verum quod ad particulas attinet, distinctè magis & ordinatim *Elias Major* in libro *de varianda oratione*. Accuratè itaque observandæ sunt particulæ, quæ ad connexionem spectant, sive sint illativæ sive causales, sive conditionalas, seu adversativæ; seu exceptivæ, seu explicativæ, &c. Nam variis illis affectionibus spectari potest oratio: & ex his connexio sermonis dependet. Qui itaque tales voculas vel aliis synonymis vel formulis idem significantibus variare novit, non contemnendum habet connectendæ orationis artificium: in quo sæpe solliciti sunt qui orationem scribunt. Distinguendi hicquoque sunt characteres. Nam aliæ connexiones poëticæ sunt, aliæ orationis contentiosæ, aliæ narrationum & historicæ: in quibus omnibus adhiberi oportet accuratum judicium. Poëma plane dedecent connexiones periodicæ, per quas in orbem volvitur oratio: ut quandoquidem, etsi, tametsi, verùntamen, siquidem, verum enim vero & plures aliæ; quales vo-

culæ omnes ſpectant ad rotundandam oratoriam periodum, qualis non occurrit in carmine; plerumque enim membratim illic procedit oratio, & per commata trahitur, ſine aliquo in orbem reditu. Etſi *Virgilius* magis periodicus ſit, quam cœteri; ita tamen ut ultra decorum poëticum non eat. Neque ſolum connexiones verbales, quæ conſiſtunt in particulis & formulis, ſed reales, quæ vicinitate rerum obtinentur, notandæ ſunt. Ut enim perpetuus eſt inter ſe rerum analogiſmus: ita nihil inter ſe adeo diverſum eſt, quin certa quadam ratione jungi poſſit. Poſſunt & formulis illis miſceri recentiorum auctorum Italorum & Gallicorum formulæ; ſed videndum ne Latinitatis genius corrumpatur. Alioquin fontes formularum ſunt in argumentis Ethicis & Patheticis; quos ſi probe cognitos habemus; cognoſci à nobis facile poteſt, unde formulæ tales ſint petendæ. Porro ad excerpta Rhetorica referri debet codex characterum vel morum, quo colliguntur illæ ſententiæ, quæ idoneæ ſunt ſubminiſtrare argumenta Ethica ad rem probandam neceſſaria, quorum copia colligi poteſt in codice Theſium.

Morata & pathetica argumenta per totam orationem ſunt diffuſa, & maximam orationi conciliant gratiam. nulla enim pe-

ne

ne formula, nulla oratio familiaris, quæ recte iis utatur: quibus quo magis referta est oratio: eò illa vivacior & illustrior est. Implicantur vero nonnunquum illa argumenta ita verbis, ut una sæpe voce ac epitheto contineantur. Neque enim opus est magno cum apparatu illa proponere. Infinita talia occurrunt, non in oratoribus tantum, sed & Poëtis: præcipue apud comicos, qui, ut speculum vitæ humanæ omniumque actionum repræsentantur: ita pleni sunt talibus sententiis, quæ ex abdito eruuntur, atque iterum aliis argumentis applicari possunt. Luculentum præ cœteris specimen dedit *Theophrastus* in characteribus suis, libello vere aureo, qui mores hominum secundum status & vitæ genera & naturæ inclinationes describit brevibus lineamentis, sed plus rei quam coloris ostendentibus, in quem extat pulcherrimus *Casauboni* commentarius, qui sententias *Theophrasti* parallelis aliis illustrat. Fundamentum horum excerptorum ponendum est ex Art. Rhet. Lib. 2. c. 12. 13. 14. 15. 16. 17. quibus illa hominum mores describit secundum varios status. Hæc enim omnia pro fundamento sunt, & quæ hic occurrunt axiomata, pro titulis usurpanda, quibus titulis deinde subjungendæ sunt sententiæ vel similes ex auctoribus, vel specialiores. Praxin illorum excerptorum instituendo-

endorum dilucide ſatis ob oculos poſuit *Schraderus* in commentario Rhetorico pag. 371. Inter Gnomologos non habemus, qui tali methodo collectanea ſua inſtituerint. ſolus *Magiri* liber, qui πολυμνήμον inſcribitur, aliqua ex parte prodeſſe nobis poteſt & ex illo non exigua ſylva propoſitionum moralium exſculpi. Nam ſummaria omnium illarum ſententiarum, quas adducit, in frontiſpicio ponit, unde per ſynopſin haberi omnium ſententiarum idem ſignificantium ſenſus poteſt.

§. 8.

Ut codex morum, ita codex affectuum quoque inſtituendus eſt. argumenta enim pathetica pro movendo auditore inferenda ſunt orationibus omnibus, præcipue iis, quæ in ſingulari aliquo affectu verſantur. Doctrinam hanc de affectibus pleniſſimè tractavit Ariſtoles lib. 2. Rhet. à cap. 1. ad cap. 11. ubi legendus eſt diligentisſimus ejus commentator *Schraderus*. Diſponendus itaque hic liber eſt ſecundum affectus, qui titulos generalisſimos repræſentat. ſub ſingulis affectibus ſpeciales tituli ponantur (1) qui tales (ſc. affectus) habeant (2) ob quæ, id eſt ob quam cauſam tales affectus quis induat (3) adverſus quos.

Subſidio hic eſſe poſſunt auctores, qui de affectibus egerunt, etiam Phyſici præ primis tamen Morales, ut: *De la Chambre* in lib.

lib. gall. de *characteribus passionum animæ, Cartesius, Willisius.* His titulis specialioribus subjungendæ sunt sententiæ huc spectantes apud auctores, inprimis Poëtas. *Codex exemplorum* huc quoque spectat, magnam enim exempla vim habent in populari oratione. Exempla autem illa specificari magis debent, quam in vulgaribus locorum communium libris.

Velim quoque Figurarum illustrium, excerpta fieri. quæ quidem ordinari velim, non secundum figuras tantum, sed & secundum argumenta ethica & pathetica. His enim præcipue subserviunt, & figuræ sunt affectibus omnibusque animi motibus subordinatæ. Quædam ad argumenta docentia tantum pertinent, ut figuræ sententiarum, sed & illæ tamen indirecte ad affectus & mores referri possunt, uti & omnes etiam figuræ ad amplificationem pertinentes. Quando itaque occurrit argumentum in oratione, quod pressius urgeri debet, notandum est quænam figuræ apud auctores illis subjungantur. Magno hoc usui esse potest in elaboratione orationum. Ut si quando in simili casu aliquid dicendum sit, simili modo informetur oratio.

CAP.

CAP. IV.

DE EXCERPTIS PÖETICIS.

§. I.

VEnio ad Excerpta poëtica. Oratio enim ligata aliam curam requirit, quam ſoluta. Et hic quidem ita excerpta diſpono, ut alia ſint verborum, alia ornamentorum, alia rerum & inventionum. Notum eſt Poëtas alia quaſi lingua loqui. Differt enim eorum oratio plane à pedeſtri, tam ratione ſyntaxeos & grammatices, quam ratione ipſius dictionis. Syntaxis illa quomodo differat ab ordinaria, eleganti compendio oſtendit in palæſtra eloquentiæ ligatæ *Maſenius*. Dictio quomodo parari debeat, non eſt adeo ab omnibus obſervatum. Hanc dictionem ut familiarem mihi reddam, inſtituenda ſunt excerpta Metaphorarum poëticarum. In iis enim plerumque ſublimitas dictionis. Vehementer autem illæ differunt à communibus, neque locum inveniunt in oratione ſoluta. Inſtituenda autem ſunt excer-

cerpta illa secundum alphabeti ordinem, & subjungendus libro illi index est rerum vel subjectorum, de quibus dicuntur metaphorica illa prædicata. talia excerpta plus juvant quam omnia æraria & Flavissæ.

His Lexicis collectaneis subjungendæ sunt excerpta phrasium & formularum poëticarum, quales congessit in Parnasso suo poëtico Nomesius, aut in *Flavissis* suis poëticis *Baccherius*. Ponantur autem hic. (1) Synonyma simplicia nominum & verborum, tum & periphrases: iis enim frequenter utuntur poëtæ.

(2) Phrases, ubi notari velim phrases solutæ orationis, quales *Schönslederus* congessit. Vehementer enim ad carmen scribendum prodesse possunt.

(3) Formulæ variæ connectendi, comparandi, transeundi, Poëtis familiares, quarum specimen dedit Jacobus Hugues in artificio connexionum & transitionum, tum & *Laur. le Brun* in eloquentia sua poëtica.

§. 3.

Ornamentorum collectanea consistunt vel in similitudinibus & comparationibus, vel in idolographiis, & prosopographiis, vel denique in exemplis fictis & fabulosis, quæ omnia utramque paginam faciunt in

mine & diligenter præ cœteris sunt colligenda. Nam quod attinet ad comparationes, earum pauculas quasdam collegit *Georgius Fabricius* in libris de Re Poëtica. plures nescio quo auctore edidit Alexander Carolus Trognæsius singulari libro Antwerpiæ An. 1610. in 8vo. Brevem earum indicem dedit *Masenius* in palæstra eloquentiæ ligatæ sed imperfecta sunt omnia. longé enim plura tam ex veteribus quam recentioribus colligi possunt.

Ponantur itaque Tituli horum locorum, actiones aut virtutes cum alijs quibusdam rebus comparatæ, ac subjiciantur illis comparationes ipsæ; index denique collectaneis subjiciatur alphabeticus rerum quæ in comparationem veniant, adjecto morali illo in quo comparantur.

Idolographiæ & Prosopographiæ frequentes sunt apud Poëtas, qui simili modo colligantur. Sunt vero illæ, vel cum virtutes vel vitia, ut personas introducimus, vel aliquem locum sive verum sive fictum describimus. Extat liber scriptus à *Cæsare Ripa*, qui in germanicam linguam nunc versus est, sub titulo iconologiæ, cujus brevem aliquam epitomen habet Harsdörffer in seinem poetischen Trichter. Ex illo quoque & aliis excerpsit *Masenius* in *Spec. imaginum veritatis occurrit*, sed utile tamen est, ipsas illas descri-

ſcriptiones poëticas notare, paſſim occurrentes, quod non faciunt citati auctores. Ponantur itaque tituli rerum, quarum deſcriptio notatur & ſubjiciatur index ipſarum imaginum.

Rerum & inventionum collectanea ordinentur ſecundum Alphabeti literas, vel tumultuario etiam ordine, qui in ordinem redigatur per accuratum indicem. Colligantur loca Poetarum, quibus aliquid vel laudatur vel vituperatur vel deſcribitur ſeparatis claſſibus: Nam tria illa potiſſimum ſunt, quæ in carmine ratione rerum conſiderari debent. Integræ autem theſes non tam ad poëticos,quam ad oratorios locos communes pertinent. Exempli gratia, cum aliquid ſuadetur, aut diſſuadetur, accuſatur vel defenditur, ac poſſunt tamen illa ad generales laudationum & vituperationum titulos referri. Suadentur & defenduntur bona: diſſuadentur & accuſantur mala. Raro in aliquo carminum genere verſamur, quam encomiaſtico. Satyra, quæ tamen rarius ſcribitur, ex ipſiſmet fontibus argumenta ſumit. In Poëmate Epico ad Hiſtoriæ ſimilitudinem inſtituto, ut Æneis Virgilii, in comœdiis & Tragœdiis, in Eclogis nonnunquam theſibus locus eſt. Sæpe enim aliquid vel conſultatur vel accuſatur. Quoniam vero illa ex oratoriis fontibus haurienda ſunt, ideo-

Digitized by Google

ideoque ad illos & excerpta rehorica hæc remittenda. Exempla talium collectionum nobis dedit *Laur. le Brun* in eloquentia ſua poëtica : ſed nimis operoſus eſt in deſcribendis ipſis autorum locis: ſufficeret ſolus index. habentur autem iſta excerpta apud illum lib. 7. part. I. Sciagraphiam talium locorum communium dedit *Farnabius* in indice ſuo oratorio & Poetico, ſed qui augeri multis modis poteſt.

§. 8.

Loci communes inventionum ita ordinari poſſunt. Tituli locentnr ſecundum cauſarum genera, exempli gratia in demonſtrativo genere generalis titulus ſit Epithalamium: ſub illo ſint ſpecialiores tituli ſecundum circumſtantias vulgares diſtincti. Unde epithalamiis inventiones petendæ ſint, tradit præcipue *Dionyſius Halicarnaſſeus*: in arte ſua rhetorica. Fontes illi communes ſunt & cuivis patent, è quibus ſi quis materiam ſcribendi capere velit ſecundum Rhetorica enthymenata, vel deliberativi, vel demonſtravi generis ordinare ſpeciales titulos poteſt. exempli gratia. cum Epithalamium ſcribendum, vel ſuadetur matrimonium in ſe ſpectatum vel certæ perſonæ, vel cum certa perſona, vel laudatur ipſum matrimonium vel

lau-

laudantur personæ. Et hæc quidem communissima sunt, nec multo artificio indigent. Solent vero in minoribus illis poëmatibus tam operosa enthymemata non requiri: nisi cum quis poëma aliquod justæ magnitudinis conficere velit; tunc conquirenda sunt omnia tam Rhetorica enthymemata, quam artis poëticæ ornamenta. In minoribus vero illis sufficit instituere inventiones, secundum locos περιστατικοὺς s. circumstantiales, cum in facto aliquo versamur, cujus circumstantiæ vel omnes vel singulæ aliquid subministrabunt, quod ad ornandum carmen facit. Ordinabuntur itaque tituli secundum hos locos. Ita ex circumstantia personæ conficies speciales titulos: Epithalamium JCti, Theologi, Medici Mathematici &c. & notabis exempla insignium Poëtarum, & specialia ista vel enthymemata vel argutias, quæ rei præsenti accommodatæ sunt ab ipsis. similiter ex circumstantia temporis conficias titulos epithalamiorum æstate, vere, hyeme, nundinis &c. celebratorum. sub singulis notentur exempla aliorum, & quæ tu ipse inveneris ex analogismo tot auctorum inter se instituto. Similiter & procedendum in reliquis locis.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

DE

EXCERPTIS CRITICIS ET EXEGETICIS.

§. I.

Excerpta, de quibus hactenus egimus, pertinent ad orationem formandam. Quæ nunc subjungimus, non tam ad orationem pertinent, quam ad auctorum explicationem, & ad usum in interpretandis auctoribus, iisque inservire possunt, qui commentaria in Auctores parant, aut dissertationes super argumento aliquo philologico scribunt. In his primum locum obtinent Excerpta Critica, quæ quidem a Grammaticis differunt. Nam etsi supra mentionem fecimus glossematum & collectaneorum Lexicorum, alia tamen hæc ab illis sunt, & instituuntur ad sensus auctorum investigandos, quæ ego vocarim ad distinctionem cœterorum Excerpta Critico Exegetica. Adornari autem illa hoc modo possunt. Sensus accuratos in Auctoribus quærimus vel è variarum lectio-

ctionum investigatione vel ex ipso verborum sensu. Quod ad varias lectiones attinet, illæ è manuscriptis codicibus consignari vel ad margines librorum possunt, vel libris separatis secundum auctorum paginas dispositis. Nam e collatione earum ad veros sensus locorum auctoris pervenimus.

Exegetica excerpta ita adornanda sunt. Adscribenda sunt ad margines auctorum loca illa, ubi explicantur hæc vel illa verba; vel separatus liber adornari potest secundum ordinem librorum auctoris. Illa excerpta si a prima juventute instituantur; nunquam deesse potest materia super auctores commentaturo, vel lectiones super illos instituturo. Habemus tot libros adversariorum, observationum, è quibus varia auctorum loca explicantur. Illa omnia referri ad has velut sedes suas possunt. Illustrantur nonnunquam data occasione in aliorum commentariis auctoris loca: etiam hæc referri illuc possunt. Non credat aliquis quanto usui talia excerpta sint. sic quoties occurrit aliquid ad *Virgilium*, illud ad marginem Virgilianorum operum scribatur. Ita fiet & in aliis. Subsidio hic esse possunt indices auctorum vel laudatorum vel emendatorum, qui subjungi solent libris criticis. Illi si in omnes auctores essent & accurate satis con-

conſcripti: ſuperſedere hoc colligendi labore poteramus. Verum cum in plurimis illi deficiant, ac tumultuariè ſint conſcripti, nec loca auctorum ſtatim conſpectui pateant: rectius ipſi tales excerptorum libros conficiemus. Reperiuntur quidem Indices in Tom. III. & IV. *Facis Criticæ Gruttrianæ*, in quibus accurate notata ſunt auctorum loca ac verba ipſa, addito ſemper auctore, ubi explicatio invenienda. Sed in reliquis tomis labor ille deſideratur, qui tamen tali opere, & quod ad illos uſus concinnatum eſt, ſumme eſſet neceſſarius. Eum enim in finem *Gruterus* hos libros junctim edi curaverat. Eodem modo in legibus Romanis, vel in ſacro codice excerpta Exegetica quis conficere poterit, magno futura uſui, ſi labor cum ætate & annis creverit. Nam in explicatione Legum Romanarum vehementer vacillamus, eſſetque talium excerptorum ad explicationem Legum maximus uſus, ipſis etiam JCtis non obſervatus. Plerique enim ex illis parum de interpretatione gènuina legum Romanarum ſolliciti, ad auream praxin omnia conferunt, in qua ſolida Legum interpretatio, quæ ex his ſubſidiis petenda eſt, pro Scholaſticis tricis & inutili labore habetur. Illud tamen certum eſt, infinita in his reſtare agenda, quæ talium excerptorum

rum beneficio confici possunt, ut nunquam defutura sit materia JCto, si novas commentationes scribere in leges velit, & quidem eruditas: cum vulgares illi commentatores non nisi cramben coctam centies recoquere soleant. Quantus eorum excerptorum in Theologicis usus, quilibet sane facile intelligit. Hinc sane Biblia critica ortum suum trahunt, in quibus illud fortassis desiderandum est, quod nimis concise omnia tractentur, & auctorum loca non satis accurate notentur. Ex his tamen magnum usum in Theologiam inferri, stupidus certe esset qui negaverit. neque adeo in Medicis talium excerptorum usus contemnendus est. etsi non tam auctoritatibus, quam rationibus illa constent: est tamen ubi *Hippocratis* & *Galeni* sensus aliam aliamque interpretationem admittunt: est ubi in nominibus morborum, in nominibus materiæ medicæ magnus philologiæ usus est; quem aliqua ex parte demonstrarunt *Hoffmannus* in variis suis lectionibus Medicis, in officinalibus suis. *Jul. Cæsar Scaliger* comment. in *Theophrastum* de plantis, *Bodæus Stapel* alio in eundem auctorem commentario; *Salmasius* commentario in *Polyhistora Solini*, qui & ipse opus vastum de materia medica præ manibus habuit: in quo ille mirifice Medicorum labores juvare potuisset, non latina solum & græca sed

& orientali nomenclatura rerum & lectione Auctorum instructissimus. Cujus defectum supplere nuper quoque potuisset *Hieronymus Velschius*, Vir ut in Medicina, ita & in græca atque orientali literatura consummatæ eruditionis.

Jungi his possunt *excerpta antiquaria*, quanquam enim illa ad Historicos pertinere videntur: nolim tamen misceri cum illis. Cum enim historica vel ad civilem usum congerantur, vel ut accuratior ipsa historia habeatur: nimis prolixum & tædiosum esset in isto cumulo illa quærere. Continent vero Excerpta antiquaria ritus variarum gentium, circa certa subjecta. Jam vero Methodus colligendi illa varia esse potest. vel enim respicimus ritus illos secundum solennia actionum humanarum institutos, atque sic ordo talis adhibendus esset, qualis in antiquitatibus *Rosini* & *Dempsteri*. Sed præstat potius sequi ordinem rerum, illisque collectaneis deinde subnectere indicem rituum secundum varias in Republica actiones dispositorum. Placeat itaque mihi hic nude consignare Lemmata rituum, adjectis auctoribus, qui de illis agunt, nam exscribere nimis prolixum esset. Velim deinde Lemmata illa numerari, appositis in fronte numeris, si forte unum Lemma ad plures titulos pertineat: ut non opus sit integrum exscribi, sed tantum paginam al-

terius

terius tituli & Lemmatis numerum poni. *Josephus* in πολυμαθία suos libros & indices tales confecit secundum alphabeti seriem; sed non ille ordo observatus est, qui debebat; & paucula illa tantum sunt, possuntque longe plura illis addi. deinde neque Lemmata sunt numerata, neque sub titulis diversis repetita.

CAP. VI.

DE

EXCERPTIS QUÆ AD FORMULAS SYSTEMATICAS SPECTANT.

(*Ex Orat. pro Leg. Man.*)

Formulas systematicas voco, quæ ad totam orationis dispositionem ac connexionem membrorum pertinent. Systema Exordii retexitur in collegio nostro Oratorio-Theoretico-practico cap. 18. Est enim optime formatum, & 4. suis partibus constat. Tota hujus Exordii Sciagraphia referenda est ad locum exordii circumstantialis. Periodus prima & secunda referenda ad titulum hunc, *Hactenus ex hoc loco verba*

Digitized by Google

ba non feci: quæ etsi ad ſententias amplificatas etiam referri poſſunt, tamen ad ſyſtematicas formulas referri quoque debent. Ad connexiones periodicas minores referantur hæ formulæ:

Ita neque hic locus vacuus unquam fuit &c. Nunc cum auctoritatis in me tantum ſit: atque illud inprimis jure mihi lætandum eſſe video &c.

Ad formulas ſyſtematicas in Exordio pertinent etiam hæc. Commendandæ orationis argumentum à copia: *Atque illud inprimis - - - - modus in dicendo quærendus eſt.*

Modeſte diligentiam ſuam & induſtriam commendare:

Nunc cum ex auctoritatis - - - cenſuerunt.

Formula tranſeundi ad narrationem vel confirmationem: *Atque ut inde oratio mea proficiſcatur. &c.*

Gonnexionis periodicæ narratoriæ, periodi pendulæ per infinitivos decurrentes, indicativis miſtæ: *Bellum grave & periculoſum - - - præterea neminem.*

Tranſeundi ad propoſitionem: *Cauſa quæ ſit videtis: nunc quid agendum &c.*

Formulæ proponendi per partitionem: *Primum, deinde, tum.*

Generalis enthymematum complexio in propoſitione:

Genus eſt enim ejusmodi - - - conſulendum.

Tranſeundi ad Confirmationem formu-

la

Digitized by Google

la a re ipsa & enthymemate primario, *& quoniam appetentes semper gloriæ &c.*

Transeundi a parte argumenti ad aliam partem:

Sed pro vestri imperii dignitate atque gloria - - - suscipiendum putetis.

Rejicere aliquid in commodiorem occasionem: *Sed de Lucullo dicam alio loco - - - videatur.*

Argumentum a minori ad majus, elegans hic exemplum:

Majores ex levibus causis bella atrocia susceperunt;

E. & posteri gravioribus de causis.

Transeundi ab uno enthymemate ad aliud per particulas; *Quid, quod salus sociorum* &c.

Concludendi enthymema per interrogationem: *Putatisne nos illis rebus frui posse - - liberatis?*

Concludendi enthymema per adhortationem patheticam.

Videte ne ut illis pulcherrimum fuit - - - conservare non posse.

Transeundi ab enthymemate ad enthymema: *Ac ne illud quidem vobis negligendum est - - - diligenter.*

Concludendi enthymema: *Quare videte num dubitandum vobis sit - - - - defendunt.*

Transeundi ab uno membro orationis ad

 aliud

aliud: *quoniam de genere belli dixi - - - videantur.*

Formula qua narratio proponitur in medio Orationis:

Atque ut omnes intelligant me Lucio Lucullo (narratio ipsa incipit) Primum ex suo regno &c.

Per prolepsin argumentum aliquod proponere; *Atque ut omnes intelligant - - requiretur fortasse nunc (ubi finitur) quemadmodum reliquum possit esse magnum bellum.*

Attentionem excitare in singulari aliquo enthymemate:

Cognoscite Quirites: non enim sine causa quæri videtur.

Per figuram præteritionis exprimere res luctuosas & graves:

Hic jam plura non dicam: item; *finite hoc loco Quirites* &c.

Præparandi animos ad attentionem in propositione singularis enthymematis per figuram ἐυχῆς sive voti: *Utinam, Quirites, Virorum fortium, ac innocentium tantum copiam dubium facere possit.*

Connectendi partes enthymematis per interrogationem:

Quis igitur hoc homine scientior unquam &c.

Transeundi ab uno argumento ad aliud. *Jam vero virtuti Cneji Pompeji quæ potest par oratio inveniri?*

For-

Formula qua provocamus ad testimonia: *Testis est Italia.*

Digrediendi ab uno Exemplo ad aliud: *sed quid ego longinqua commemoro? fuit hic* &c.

Recensere res gestas per varias figuras interrogationis, præteritionis. ab illis verbis: *Jam vero virtute Cneji Pompeji* usque *media æstate confecit.* ubi perpetua est factorum *Pompeji* recensio, e circumstantiis exaggeratio.

Transeundi ab uno enthymemate ad aliud per particulas connectendi & exclamationem. *Ac primum, quanta innocentia debeant esse Impp.*

Laudandi aliquem ex loco comparatorum, & quidem dissimilium:

Summa omnia sunt Quirites - - quæstu reliquit. &c. Cætera quoque quæ sequuntur huc pertinent.

Apostrophe inexspectata ad exaggerationem rei: *Vestra admurmuratio facit Quirites, ut agnoscere videamini.*

Transeundi ab uno membro ad aliud. *Age vero in ceteris* &c.

Laudandi formulæ in singulari aliqua excellentia:

Itaque omnes quidem in his locis - - in illis laborasset.

Connectendi in enumeratione partium per particulas; *Jam vero ita faciles aditus, jam quantum consilio; fidem vero ejus*

 inter-

inter Socios ; humanitate jam tanta est.

Concludendi enthymematis per Interrogationem. *Et quisquam dubitabit, - - - natus esse videatur:*

Transeundi ab uno Enthymemate ad aliud. *Et quoniam auctoritas* &c.

Concludendi partem enthymematis. *Et quisquam dubitabit* &c.

Age vero illa res quantam declarat &c. *Quid quod? idem ipse* &c.

Concludendi enthymema: *Potestis igitur jam constituere - - -* existimetis.

Transeundi ab uno membro ad aliud: *Reliquum est, ut de felicitate timide & pauca dicamus.*

Connectendi per verba ad facultatem aliquam intellectus pertinentia:

Ego non sic existimo - - - commissor.

Connectendi per asseverationem; *fuit enim profecto quibusdam summis viris.*

Laudandi oblique per præteritionem, & sub schemate ethico modestiæ:

De hujus hominis felicitate - - - optare debetis.

Concludendi enthymema per *ανακεφαλαίωσιν*. *Quare cum hoc bellum ita necessarium sit &c. conferatis.*

Novum enthymema in ipsa conclusione

ne enthymematis primarii: *quæ si Romæ Cn. Pompejus - - amittimus.*

Transeundi ad confutationem per particulas & per laudem adversarii. *At enim Vir Clarissimus Reip. - - - exquirere possumus veritatem.* Item: *Quid igitur agit Hortensius?*

Refutandi aliquem per instantiam & præjudicium. Vid. totum loc.

Recensere adversarii sententiam per quandam μίμησιν & reprehensionem. *Quid igitur ait Hortensius? Obsolevit jam ista oratio* &c.

Connectendi membra per formulas: *quo mihi etiam indignius videtur* &c.

Ostendendi fiduciam causæ: *Qui si dubitant, tunc gravabuntur - - considerabunt.*

Transeundi à confutatione unius sententiæ ad alteram; *Reliquum est, ut de Quæstione Catuli,* &c.

Refutandi sub specie elogii: *Etenim talis est Vir - - virtute.*

Respondendi ad objectiones, ut alia probes, alia rejicias, quædam accipiendo quædam declinando: *qui cum ex vobis quæreret - - hominis vita atque virtute.*

Particulæ, quibus proponitur objectio. *At enim nihil novi fiat, cujus exempla.*

Respondendi ad objectionem per præteritionem, ut majus aliquid inferas. *Non*

dico hoc loco Majores nostros &c. usque *hoc uno homine.*

Formulæ variandi capita narrationis: *quid tam præter consuetudinem, quam &c. quid vero tam inauditum, quam &c. quid tam inusitatum, quam &c. quid tam singulare, quam: quid tam incredibile, quam &c.*

Opinione adversariorum apud auditores adducere in invidiam:

Quare videant, ne sit periniquum, & non ferendum &c. parendum esse videatur.

Formulæ comparandi attentionem in re gravi & magna. *Difficile est dictu* &c.

Respondere ad Objectionem per communicationem cum Adversario: *Libenter hæc coram cum Catulo & Hortensio disputarem* &c. Noverunt enim &c. *venisse.*

Concludendi enthymema. *Quare nolite dubitare venisse gaudeant auctoritates auctoritatibus opponendi.*

Formula confirmandi aliquid auctoritatibus: *quodsi auctoritatibus hanc causam confirmandam putabis* &c.

Concludendi argumentum ab auctoritate desumtum adversus adversarii auctoritatem.

Quare videte, ut horum auctoritatibus - - videantur.

Concludendi orationem formulæ.

Conclusio simplex & sine apparatu τῶν

πα-

παθῶν: *quæ cum ita ſint* &c. usque ad finem.


In Concluſione laudandi ſententiam nobiscum conſentientis. *Primam iſtam - - dubitemus.*

Hortari ut in illa ſententia nobiscum perſiſtant conſentientes. *Deinde te hortor - - dubitemus.*

Polliceri ſuam conſtantiam in ſententia tuenda: *Ego autem quicquid in me eſt ſtudii - - defero.*

Integritatem atque innocentiam in ſua ſententia declarare per obteſtationem, juramentum, aſſeverationem: *Teſtorque omnes Deos, & eos maxime* &c.

Oſtendere honeſtatem, amorem ſuum erga Remp. *quamobrem quicquid in hac cauſſa &c. usque ad finem.*



PARS

PARS TERTIA. DE IMITANDIS AUCTORIBUS.

CAP. I. DE IMITATIONE IN GENERE.

§. 1.

PRocedimus ad Imitationem, tertiam nostri operis partem, quæ in effectum deducit, quod in prioribus partibus per præceptiones traditum est. Scilicet non sufficit legere, non excerpere, nisi ad usum transferantur, & sylva ista ex auctoribus collecta in ædificii cujusdam structuram conferatur.

§. 2.

Imitari itaque nihil aliud est, quam quod in picturis fieri solet, ideam alicujus rei proponere, quam ipsi nostro penicillo exprima-

Digitized by Google

primamus, & in varias partes tributam, ita componamus, ut ſucciplenum aliquod opus quod archetypo reſpondeat, inde efformetur.

§. 3.

Quemadmodum itaque Pictores rem inſtituere ſolent, ut

(1) Ichnographiam corporis exhibeant, & ſumma lineamenta ducant.

(2) Plenioribus quibusdam coloribus rem exprimant.

(3) Lumen addant & umbras, ut ita ad vivum omnia repræſententur: ita & in oratione fieri debet.

I. Enim ducenda Ichnographia totius ſermonis, quaſi σκέλετον alicujus corporis. Hæc diſpoſitio eſt Oeconomia totius orationis, juſta inter ſe partium συμμετρίᾳ conſtantis. II. Hinc caro & ſanguis addendus eſt, florens aliqua orationis copia, & III. denique color vivus, quod & figuris conſtat. Figuræ enim vivificant orationem, atque omnis ille apparatus qui præter Ichnographiam ad commendandam orationem facit, quo continentur etiam argumenta Ethica & pathetica ſubinde ſermoni inſperſa.

§. 4.

In omni itaque oratione propoſitiones & enthymemata corpus ipſum repræſentant,

tant, quod corpus duci potest ad ductum & indolem alterius cujusdam corporis in simili genere formati: ideoque qui scripturus est epistolam commendatitiam in certo negotio vel persona, consulat similem Epistolam Ciceronis, videatque quomodo ille partes epistolæ formet, quibus enthymematibus utatur, atque eadem methodo sua in epistola procedat, si par sit negotii & rei conditio; quod si non sit, ex ingenio suo addat, quæ convenire judicabit. Hinc ad verba se conferat & formulas, & quæ ipse breviter, ille diffusius explicet, per synonyma, antitheta, distributiones, enumerationes partium, omnesque locos περιστατικοὺς, quibus res aliqua vel factum amplificari solet: imo figuras addat, si res non detrectet, adagia, similia. Ita ad alienum exemplum corpus orationis formabit, quod pro suo plane venditare poterit.

Non itaque imitatio consistit in nuda atque inani verborum & sententiarum *converruminatione*, quomodo aliqui ex recentioribus scriptoribus imitationes suas instituerunt, quam ob causam se illi ridiculos aliis prudentioribus dederunt, præsertim Itali illi, *Bembus*, *Longolius*, *Sadoletus*, qui suo tempore Ciceroniani vocati fuerunt. Non immerito hos exagitarunt *Erasmus*, *Lipsius*, *Taubmannus*, aliique, quod in puc-

puerili imitatione ſubſiſtentes, vigorem ſermonis latini non attingerent. Non eſt imitari, phraſes & ſententias è Cicerone excerpere, atque ex illarum centonibus corpus orationis formare, cum nullus inſit tali orationi ſpiritus & vigor; ipſæ quoque phraſes & ſententiæ ineptæ fiunt, & vivificum illud lumen amittunt, non recto ordine & cum judicio collocatæ: ut, ſi quis vivi corporis membra amputata in novum aliquod corpus compingere velit, quomodocunque compingat, non niſi cadaver conficiet.

Hanc imitationem cum damno: non tamen improbo Ciceronis phraſes & ſententias, quaſi illarum uſus non præcipuè in oratione ſit admittendus: ſed id volo, ut earum uſus totius orationis corpori ſerviat: ut non primo loco ſint, & potiſſimum in oratione reſpiciantur, ita ut velim orationem non aliam niſi periodis & ſententiis Ciceronis contextam. Phraſium uſus manere debet, atque iſte nobis familiaris ſit: ſententiæ etiam retineri poſſunt, ita tamen inſtitutæ, ut non ſerviliter verbis inſiſtatur, ſed alia phraſi æque Ciceroniana efferatur, quod ſententioſum vel figuratum alibi Cicero habet. Miſerum enim eſt easdem ſemper cantare formulas, & eadem chorda oberrare, quod pueri quidem & tyrones faciunt, ineptum

vero existimant illi, qui jam copiam aliquam sermonis sunt consequuti.

Quod ad verba attinet in oratione, totumque sermonem, non ratione materialium, sed ratione formalium consideratum, in his imitatio ita institui debet, ut non facile appareat, nos verba ex alieno sumisse. Si enim verba & sententias retineamus, statim de plagio aliquo suspicio est; neque hoc imitari sed furari est. Sensus vero & conceptus cum sint communes: ita tegi possunt artificio rhetorico, ut nemo facile nos convincat alicujus plagii. Facile enim conceptus, qui uni in mentem veniunt, alteri quoque in mentem venire possunt.

Variis itaque modis imitatio tegi potest. Quod ut fiat: eo studiosius, inprimis disci debent omnes variandi formæ Grammaticè, Dialecticè, Rhetoricè, quas satis diligenter in collegio nostro amplificatorio explicuimus. Quod subsidium ubi ab ipsa juventute institutum, in consuetudinem paulatim cessit: nihil erit postea facilius, quam sermonis alicujus variatio, & per variationem imitatio. Qua in re cum se assidue exercuisset *Manutius*, dum formulas *Ciceronis* alia subinde ratione efferret, factum est, ut nemo felicior in expressione *Cicerone* fuerit. cœteros enim omnes superat.

In

In ſubſidium itaque hic vocandæ ſunt, (1) figuræ Grammaticæ, cum per ſynonyma, epitheta, antitheta, variasque conſtructiones, ſententia aliqua variatur. (2) Loci omnes dialectici ad amplificandum idonei, in quibus præcipue ſunt generis & ſpeciei, ſub quo continetur figura diſtributionis, translatio theſeos ad hypotheſin, & vice verſa, quando ab indefinito ad definitum, a confuſo ad diſtinctum; procedimus. Locus totus & partium, ſub quo continetur congeries, enumeratio partium, & plures aliæ. Mirifice enim amplificatur ſententia per has figuras, quod Poëtæ inprimis norunt. Locus adjunctorum, qui diffuſus admodum eſt, & res ex affectionibus amplificat. Locus antecedentium & conſequentium. Loci omnes, περιςατικοί circumſtantiarum, quæ rem quocunque modo afficiunt. In his omnibus itaque cum judicio verſandum eſt, ne ineptiamus, aut ταυτολογεῖν videamur. Horum inſigne exemplum præbebunt formulæ amplificatoriæ *Baccii*, quas recudi nunc facimus. (Recuſæ ſunt Kilonii in 8. titulus eſt, *Baccii* formulæ amplificatoriæ.)

Ut in conceptibus, ſermone & verbis, quædam imitatio eſt; ita & in formalibus externis. Nimirum in periodica ſermonis menſura, ideoque diſcemus, quo-

modo dilatandæ sint periodi, quomodo contrahendæ. ita ex una periodo Ciceronis interdum tres quatuorve formari possunt: si una periodus plures potentia contineat. Continere autem judicabitur si simplici sententiæ propius accedat, & subjectis & prædicatis generalibus constet, quæ diffundi in partes possint: ita brevior periodus quoque in longiorem diffundi potest: si subjecta & prædicata multiplicentur, circumstantiæ adjuncta addantur. Quae omnia non possunt melius, quam ipso exercitio addisci. Usus enim hic optimus Magister est.

CAP. II.
DE IMITATIONE EPISTOLARI.

§. I.

EPistola in Orationum generibus ut simplicius, ita primum locum obtinet. adeoque in exprimenda imitatione hac unicè nobis præfigendus est *Cicero*, qui omnia Epistolarum genera in libris suis habet, & ea dictione exprimit epistolam, quæ archetypi instar esse possit. Dictio puris-

Digitized by Google

purissima, periodus apta, enthymemata ad rem pertinentia, formulæ elegantes. Quibus omnibus nemo ipsum superat: ideoque in omni epistolæ parte ad imitationem proponi debet.

Quando itaque imitationem epistolarem suscipiemus: seligamus nobis epistolas illas, quas secundum omnium causarum genera cum responsoriis suis collegit *Melchior Junius*. In singulis attendamus (1) *Enthymemata*, videamusque, si in simili argumento scripturi sumus, an Enthymemata ista nostro loco conveniant. Si plura possint adhiberi: suppeditabit ille idem *Melchior Junius*, in utilissimo suo libello cui titulus: *Scholæ Rhetoricæ de contexendis epistolis*, ubi ille sub singulis generibus petitoriarum, adhortatoriarum, consolatoriarum, &c. colligit, non partes solum, sed enthymemata, in hoc vel illo argumento a *Cicerone* usurpata, unde pro lubitu excerpet, quæ in rem suam erunt, eloquentiæ cultor. Si enim in illa epistola, quam sibi imitandam proponit, non inveniantur enthymemata omnia sibi commoda: supplere ex aliis poterit: ita tamen, ut non verba, sed rem ipsam sectetur. In Tyronibus alia res est, qui & verba primum retinere possunt, ut stylo Ciceroniano adsuescant. (2) Formulas quibus continentur argumenta Ethica &

pathetica tum in exordio, tum in fine epiſtolæ occurrentia. illas vel iisdem argumentis retentis amplificabimus, vel novis quibusdam exornabimus: quæ alibi in ſimilis generis epiſtolis uſurpat *Cicero*, quæ inveſtigare poterimus in *Melch. Junii Scholis rhetoricis* vel *in formulis Starckii.* (3) ſunt verba & phraſes, quibus nobis abſtinendum eſt: ne transſcribere videamur, ideoque plane alia verba uſurpabimus & phraſes, enunciationes breviores amplificabimus, periodos quoque in partes tribuemus, & ex illis partibus novas periodos conficiemus. Quæ illic ſimplicia ſunt, nos per translata explicabimus, vel adagio aliquo ornabimus, aut ſimili illuſtrabimus, & vice verſa, quæ illic translata ſunt, nos ſimpliciter efferemus.

Ut exemplis clariora omnia ſint, ſumemus aliquam Ciceronis epiſtolam, & ad ejus imitationem aliam conficiamus. Quodſi itaque conſolatoriam ſcripturi ſumus ad aliquem in adverſa fortuna atque exilio viventem, proponamus nobis epiſtolam 17. 18. L. V. ad fam. ubi *Cicero* conſolatur *Fabium*, ſententia iniqua judicis damnatum & exulem. Hic exordium breve ſtatim ſignificationem doloris oſtendit, & hoc argumento Ethico ſibi *Fabium* conciliat, quod benevolentiam etiam miſero exhibere velit. Quo exordio ſimul involvi-

vitur propoſitio brevis. Sequuntur enthymemata, tum communia, tum ſpecialia. Communia petit è loco generis, è loco περιςατικῶ, temporis in Republica & conditionis ſtatus publici. Specialia è loco ſpeciali comparato, qui inter Ariſtotelicos eſt, *quod plura bona meliora ſint bonis paucioribus*, quod hic converſum eſt: *quod pauciora & leviora mala meliora ſint, pluribus & majoribus malis*; cui adjungit converſationem, quæ malum lenire poſſit, quod itidem inter bona eſt cum malis comparata. E loco inartificiali, teſtimonio ſcilicet & auctoritate Judicum, quæ cum breviſſime & paucis verbis apud Ciceronem innuantur, in majus ſingula dilatari poſſunt. Concluſio brevis iterum ἦθος benevolentiæ & officii oſtendit. Imitaberis vero in ſimili argumento hoc modo:

Si quis unquam ex amicorum calamitatibus doloris mihi ſenſus fuit, eſt ſane maximus, quem ex incommodo tuo, quod à peſſimorum hominum inſidiis tibi illatum eſt, perſentiſco. Quare cum hoc malo te quaſi ſubito fulmine conſternatum exiſtimarem: mearum eſſe partium duxi, ut vel literis meis erigerem animum tuum, vel ſi poſſem, re ipſa juvarem. Etſi ipſe eo loco ſum, ut aliorum potius indigere conſolatione videar, quem imi-

corum ſuorum caſus æque ut ſui affligunt. Verum ut virtutis & ſapientiæ præſidia in omnibus calamitatibus robur animo meo ſubjecerunt: ita tu quoque nunc locum illis relinques, & ad hæc fortunæ tela Achillem quaſi πάνοπλον oſtendes, vel *Antæi* inſtar e caſu ipſo novas vires reſumes.

Huc usque Exordium, quod cum in *Ciceronis* Epiſtola unica periodo continetur, hic in quatuor diffuſum eſt. In quot enim ſententias illud reſolvi poteſt, in tot periodos mutato etiam ſententiarum ordine hoc convertitur. Prima ſententia eſt; *ipſe conſolandus ſum*, quæ hic in tertiam periodum rejicitur. Secunda: *graviſſime tuli incommodum tuum*, quæ hic incipit Exordium per figuram translationis theſeos ad hypotheſin. Tertia ſententia eſt: *Ego te conſolari cupio*, quæ ſecundam facit periodum, adjectis Metaphoris, & Synonymis Phraſeologicis. Quarta ſententia eſt: *virum te præbeas*, quæ quarta periodo diffunditur, omiſſis enthymematibus communibus, quæ *Cicero* in exordio involvit. Ornatus gratia additur imago *Achillis* & *Antæi*.

Confirmatio. Quid enim eſt, quod te angere magnopere poſſit, qui meminiſſe potes & ſane debes, hominem te eſſe natum, eaque conditione vivere, ut fortunæ viciſſitudines, quas in hac vita ſuſtinemus, ſubterfugere non poſſis. Imo ſi rem recte putare

putare velis, non est quod fortunæ magnopere succenseas, quæ plura in te bona largissima manu cumulavit, ut leviori hoc malo illorum redimere invidiam posse videaris. Cum enim plerumque aliorum exemplo vel felices nos faciamus vel infelices (nam felicitate illa, quam animo suo possidet sapiens, nemo est contentus) ab utraque parte ejusdem vitæ fortunæque hominem circumspice, & te præ cæteris commodis illis ornatum videbis, qualia ne votis quidem suis homines tibi similes promittere sibi potuerunt. Florent illa virtutum tuarum præmia, & ita quidem florent, ut fructus earum nulla tibi invidia eripiat, nulla temporum calamitas intervertat. Hac itaque parte securus, si jacturam bonorum tuorum cumulo appenderis, ut illa te supra omnes constitutum, ita hac omnibus te inferiorem deprehendes. Percense enim modo animo, quot quantæque strages nobilissimorum hominum in Republica fuerint, quam illi vita, fama, salute, fortunis omnibus eversi, ne minimam quidem, si vita ipsis salva est, spem sibi reliquam sentiant. Rempublicam ipsam vide, nihil est profecto in illa, quod tenere bonos homines tuique similes possit, omnia flagitiis & sceleribus sunt oppressa, animam agit libertas, judicia & leges corrumpuntur, ipsa denique salus morientem civita-

tem

tem conservare non potest. Quid ergo est, quod te hic teneat? An quod cadaveri ejus velles immori, & communi cum vectoribus ejusdem navis perire naufragio? Itaque felicem te voco, qui ex hominum illorum consortio abis, non tam ab ipsis relegatus, quam ipsos â te, quod Diogenes faciebat, relegans. Vivere itaque tibi potes, & ad te bonamque mentem redire, postquam ab illis discesseris. venies & ad nos tui amantissimos, omnibusque officiis, omni necessitudine conjunctos: quorum domibus, amplexibus, animis, gratissimus hospes excipieris, quorum quotidiana colloquia facile omnem, quam animo concepisti, ægritudinem, tibi abstergent. Denique & in hac calamitate te possunt honesta hominum solari judicia, qui injuriam tibi factam norunt non solum, sed & suis sententiis damnarunt. Ne quid de iis dicam, qui solam potentioris tui hostis auctoritatem secuti, eam, quam ore protulerunt, sententiam, toto animo & pectore execrantur, eam publice, contrariaque sententia damnaturi, si, quod vere sentiunt, impune etiam in judicio efferre possent. Ne te itaque vel relinquere alios, vel desertum ab amicis putes, quorum ut aliqui clam tibi favent, ita multi palam tuas partes sequuntur. Me habebis, quem semper habuisti,

buiſti, omni officio, opera, tuum, qui te ſemper & obſervat & colit & diligit. Vale.

Quilibet hic & exordii imitatione & collatione ipſius epiſtolæ Ciceronis animadvertet, quam ſingula enthymemata, quæ aliquot verbis vel ſententiis apud Ciceronem continentur, integras hic periodos conſtituant, quam metaphoris, allegoriis & exemplis exornentur; & talis imitandi ratio omnium eſt optima, cum vigorem rerum attendimus, nec verbis tantum inhæremus, quæ rem prævißam facile ſequuntur, modo copia illorum è probatis auctoribus in promtu ſit.

CAP. III.

DE IMITATIONE ORATORIA.

§. I.

Imitationis Oratoriæ non eſt alia ratio, quam epiſtolaris. non enim differt oratio ab epiſtola niſi ſola brevitate. Epiſtola easdem quoque partes habet, plerumque tamen pauciores, ut oratio quoque

interdum plures, interdum pauciores habet partes.

§. 2.

Id tamen singulare in oratione est, quod (1) periodo sit diffusior, (2) enthymematibus ordinatior, quæ in epistolis nonnunquam tumultuaria sunt (3) & in amplificationibus & figuris ornatior, quas si abstuleris orationi, exsangue corpus restare videbitur.

§. 3.

In omni itaque oratione primum spectanda sunt, quæ ad œconomiam illius & τό σῶμα τῆς ϖίςεως spectant. Illud continetur propositione & enthymematibus. Quare ubi in argumento versatus fueris, quod simile videbitur tali, quod Cicero tractavit: videbis an enthymemata ex Ciceronis oratione tuis applicare possis. Sive itaque in loco communi, sive in hypothesi tua versetur oratio: vel ex primaria orationis alicujus propositione, vel ex secundariis & assumtis, quæ in rem tuam sunt, petere poteris.

§. 4.

Secundo notanda est in oratione consecutio partium & membrorum, connexiones,

nes, formulæ majores & minores. In his imitandis omnis ponenda est industria, & variatio præcipue tentanda, ne chorda eadem oberrare videamur. In singulis partibus attendenda est ordinatio periodorum; eæ expendendendæ secundum quantitatem & terminationes, copiam vel paucitatem.

§. 5.

Tertio spectanda est in oratione ἐξεργασία seu ornatus, diligenterque notandum, quid (1) in Verbis (2) in sententiis amplificantibus (3) in argumentis ethicis & patheticis. (4) in figuris eximium sit. In singulis his partibus multa sane occurrunt & notatu & imitatione digna. Nam quod ad verba attinet, notari hic possunt voces & phrases singulares metaphoricæ, illustria Synonyma, epitheta, antitheta. Ad sententias pertinent enunciationes è variis locis amplificatæ, quas in promtu habere debemus, ut simili in casu ad hæc exempla nostram quoque rem instituamus.

§. 6.

Argumenta ethica & pathetica vel suis enthymematibus subjici possunt, si τὰ ἐνθυμηματικὸν præcipue in oratione spectes; ideoque ad integram orationis œconomiam illa referri possunt, vel seorsim possunt

inter

inter ornamenta considerari, quatenus hos vel illos mores, hunc vel illum affectum exprimunt. Atque tum locum invenient in codice morum & affectuum. Figuræ quoque vel junctim vel seorsim considerari possunt. Junctim scilicet, quatenus illæ certis argumentis subserviunt (sunt enim Enthymematum quasi quidam stimuli) vel seorsim considerabuntur, si illa separatim certo aliquo libro collegeris pro commodiore & faciliore usu: subjectis tamen, si fieri possit, causis quare in loco illo usurpatæ sint, aut quibus enthymematibus, quo in affectu subjectæ. Neque est quod opineris, multiplicari hac ratione labores. imo vero facilitantur illi, si consideraveris argumentum aliquod in omnes partes esse versandum, quod tractaturus es, ut objectum aliquod corpus ad varios situs & positus exigendum, quod penicillo expressurus es.

§. 7.

Ubi singula hæc in oratione consideraveris: eandem tibi ideam simili in argumento ob oculos pone, & è schedis & collectaneis tuis in aliquod corpus orationis efforma, ut Architecti facere solent: qui palatium aliquod vel ædes exstructuri, sylvam habent variarum formarum, quibus pala-

Digitized by Google

palatia exſtructa ſunt: deinde in omnium partium συμμετρία laborant, varia genera columnarum, ornamentorum, quibus conclavia, faſtigia, parietes elaborari ſolent, ſingularibus libris collecta habent: quæ ubi tanquam exemplum aliquod intuentur, ædificium pro commoditate loci animo concipiunt: & poſtquam omnia accurate dimenſi fuerint, exſtruunt.

§. 8.

Nos, ut eo clarius pateat res, ipſa, exemplum ex oratione Ciceronis pro Lege Manilia dabimus.

§. 9.

Oratio hæc verſatur partim in genere deliberativo, partim in demonſtrativo: vel ſi genus deliberativum ſolum velis, demonſtrativum quaſi aſſumtum erit. Poteſt enim unum thema interdum ex alio genere cauſſarum argumenta aſſumere. Quæſtio itaque hujus orationis eſt: „An bellum Aſiaticum ſit gerendum contra duos „Reges Tigranem & Mithridatem, & an belli iſtius Imperator conſtituendus ſit Pompejus. Duæ itaque propoſitionis partes ſunt, prima, bellum Aſiaticum eſt gerendum: ſecundum, belli hujus Imperator conſtituendus eſt Pompejus. Vel

etiam

Digitized by Google

etiam quæstio simplex constitui potest, utrum Pompejus ad bellum Asiaticum Imperator sit deligendus. Affirmationem Cicero probat duplici generali Enthymemate, quorum primum hoc est: Belli hujus Asiatici tanta est partim necessitas, partim magnitudo, ut præstantissimum Imperatorem sibi deposcat. Ergo Pompejus &c. Antecedentis duo membra separatim tractantur. Enthymema II. generale; Pompejus reliquis Imperatoribus omnibus excellit. E. His specialia deinde Enthymemata subjunguntur. Potest enim tota hæc oratio uni syllogismo perfectæ includi. Si tanta est hujus Asiatici belli partim necessitas, partim magnitudo, ut præstantissimum Imperatorem sibi deposcat, Pompejus Imperator est eligendus. Atqui, Ergo. Majoris connexio probatur hoc Prosyllogismo. Pompejus enim reliquis antecellit.

Tria vero sunt Enthymemata hujus orationis generalia.

1 Bellum hoc est vehementer necessarium.

2. Valde periculosum.

3. *Cnejus Pompejus* reliquis Imperatoribus unus excellit.

Hæc unico possunt includi Syllogismo: Si bellum hoc contra Mithridatem est ita necessarium, itaque periculosum, ut præstan-

stantissimum Imperatorem sibi deposcat; *Cnejus* autem *Pompejus* talis est Imperator: is, omnino præ cæteris huic bello est præficiendus. Atqui, E. Ima pars propositionis, quod bellum Asiaticum sit gerendum, confirmatur enthymematibus, petitis *à necessario*. Hic vero locus speciatim apud *Aristotelem* non occurrit, nisi velimus ex loco *bonorum confessorum*, & ex loco communi *de difficili*, enthymemata illa repetere: proprie tamen distinctus est à cœteris necessarii conceptus. Necessarium enim est illud, quod debet fieri, & quod adeo non est in potestate nostra, utrum facere velimus, an omittere. Quare in collegio nostro oratorio locum *Necessarii* à reliquis sejunximus, & si inter locos communes retulimus. Cum enim inter locos communes sit illud, quod potest fieri, illud quod factum è, illud quod futurum est, cur non etiam illud, quod debet fieri, eò referatur? Quare si axiomata, quæ illic reperiuntur præsenti instituto applicemus: videbimus ex quo proprio enthymemata illa deducenda. Spectat enim huc locus communis *de Magno*. id enim Cicero hic agit, ut demonstret, non solum necessarium esse bellum, sed & magnum & grave. Verum nec hujus loci canones separatim posuit Aristoteles, verum ad locos comparatos de bono & malo nos remittit. *Enthymema primarium*, quo Cicero uti-

utitur, hoc est: In bello Asiatico agitur gloria populi Romani, agitur salus civium, sociorum, aguntur vectigalia maxima, aguntur fortunæ multorum civium. E. bellum Asiaticum grave est & necessarium. Antecedens quot partes habet, tot novos quasi habet prosyllogismos & enthymemata, sibi subordinata, quæ tamen omnia petita sunt ex illo canone; *necessitas extrema est defendere res suas, patriam, amicos, bona quibus sustentamur* &c. Si locum Aristotelis de bonis confessis respexeris: ad hos canones hæc enthymemata retuleris: *quo præsente bene se habet, vel, quo absente res male se habet* & è Locis Boni comparati: *quo privari magnum malum est.* Verum hæc, uti dixi, indirectè huc referuntur.

§. 10.

Huic generali enthymemati subordinantur enthymemata specialia, ut, *in bello asiatico agitur gloria populi R. E. illud grave est & necessarium.* Conclusio interdum omittitur & subintelligitur, interdum per figuram aliquam subjungitur: probatur iterum antecedens à contrario, quia summum est dedecus populi Romani, non ulcisci bello Regem *Mithridatem.* Huic subjunguntur argumenta amplificantia, quod vel Mithridates nunquam superatus se hostibus Romano-

Digitized by Google

manorum associaverit. 2 à comparatione minorum. Populus Romanus minores injurias vehementibus ultus est, E. majores impunitas non poterit dimittere. Est vero secundum Aristotelem comm. 2 Cap. 14. l. 1. injuria major, quæ majus damnum dedit, cui jungi potest comm. 7. & octavum. Magnum est, quod quis solus, aut primus, aut non multorum exemplo admisit, magnum etiam est, in eadem re sæpe peccare, ideoque majorem injuriam commisit *Mithridates*, qui primus id *admisit quod non multi, & qui sæpius peccavit, cum in socios* id criminis admisit, unde ex majori injuria crescit dedecus populi Romani. Hoc Enthymema elegantibus anthithetis illustratur. habet enim figura illa, quæ anthiteton dicitur, præcipue suum in tali argumento locum. Concludit argumento pathetico, quo pudorem illis incutit. vid Comma secundum Lib. 2. Cap. 6. Rhet.

Ex hoc speciali argumento ille locus communis resultat, gloriam Majorum à posteris esse continuandam. Referatur itaque in codicem Thesium: *Gloria populi omnibus rebus præferenda est.*

Secunda pars Antecedentis hoc proponitur enthymemate: In hoc bello agitur „salus sociorum. E. hoc bellum persequi debemus. Antecedens probatur enumeratione sociorum, qui periclitantur. Pro-

 po-

ponitur historia bellorum priorum & immiscetur simul per figuras aliquas orationi laus *Pompeji*. Incipit ab illis verbis: *Quid quod salus sociorum &c.* Figura quædam sermocinaitonis est, cum ait: *hi vos tacite rogant, ut se quoque &c.* Subjungit amplificationis gratia argumentationem ab exemplo; quo concludit hoc ethymema speciale his verbis: *Quare, si propter socios &c.*

Locus hic communis notari potest, de sociis defendendis:

Tertium enthymema speciale hoc est: in hoc bello aguntur vectigalia maxima E. bellum Asiaticum &c. Antecedens probatur (1) a comparatione Asiæ cum reliquis provinciis. (2) Ex descriptione fertilitatis & proventuum Asiæ (3) ex loco effectorum contrariorum, damnorum scilicet, quæ consequuntur metum calamitatis. Graphice omnia depinguntur, & quasi per ὑποτυπωσιν ob oculos ponuntur. Initium est in illis verbis; *præsertim cum de vestris vectigalibus* &c. Conclusio hujus enthymematis per interrogationem formatur. *Putatisne vos iis rebus frui posse* &c. Locus Communis hic notetur. *Vectigalia publica bene custodienda & defendenda.*

Quartum Enthymema speciale est: In hoc bello aguntur fortunæ multorum civium. Transitus fit per formulam expressam transitionis: Ac ne illud quidem vobis

vobis negligendum eſt. Probatur Antecedens, quod multi cives Romani vectigalia conduxerint, atque illic negotientur, quibus niſi conſulatur, totam rempublicam perire, neceſſe ſit. Concludit primarium hoc enthymema, quod tot ſpecialia continet, collectione & ἀνακεφαλαιώσει ſingulorum his verbis: Quare „videte, num omni ſtudio &c. Locus com„munis notari hic poteſt. *De civium commerciis & fortunis non turbandis vel defendendis.*

Tum procedit Cicero ad ſecundum caput propoſitionis, quod bellum hoc ſit magnitudine periculoſum. Enthymema vero ita ſonat. Bellum Aſiaticum & magnum eſt & periculoſum Reipublicæ Romanæ, E. omni ſtudio bellum gerendum eſt. Antecedens probat ex hiſtoria hujus belli & è circumſtantiis. Hoc bellum conjungunt duo Reges potentiſſimi, ſuſcipiunt agitatæ nationes, victo *Lucullo* & expulſo vetere exercitu. E. bellum Aſiaticum eſt magnitudine periculoſum. Antecedens hujus ſubordinati enthymematis explicatur per narrationem fuſam: figuræ occurrunt; prolepſis, quod *Lucius Lucullus Mithridatem* vicerit, cui reſpondet eleganti comparatione *Mithridatis* cum *Medea*, quodque *Mithridates* ex ipſis ruinis ſuis plus augmenti acceperit, ut *Lucium*

Lucullum etiam prælio fugaret, cujus enarratione eleganti præteritionis formula utitur his verbis: Simile hoc loco Quirites, „præterire etiam noſtram calamitatem &c. Concluſio hujus enthymematis itidem fit per Figuram præteritionis. *Multa prætereo conſulto* &c.

§. 15.

Loci communes hic poſſunt plures notari (1) Conjunctio multorum hoſtium periculoſa eſt Reipublicæ (2) Hoſtis potentior non remiſſe debellandus eſt, ut qui ex clade accepta nova incrementa ſumit (3) Noxium eſt Reipublicæ, victoriæ non inſiſtere.

§. 16.

Procedit jam ad tertium caput propoſitionis Cicero, quod ſcilicet *Pompejus* Imperator huic bello ſit præficiendus, idque per ordinariam tranſitionem. Satis mihi multa „verba feciſſe videor. Enthymema, quo probat Cicero *Pompejum* eſſe Imperatorem deligendum, hoc eſt. In Pompejo 4. *illa* ſunt 1. Scientia rei militaris. 2. Virtus 3. Auctoritas. 4. Felicitas E. *Cn. Pompejus* eſt bonus Imperator. Hoc generale Enthymema, quod primum ita collectum exhibet Cicero, poſtea diſcerpit in partes, &

& è singulis antecedentis partibus, singula facit enthymemata.

Prima pars itaque scientia rei militaris prolixe describitur per enumerationem ætatis ac bellorum *Cnei Pompeji.* Incipit his verbis:

Quis igitur hoc homine aut scientior unquam fuit, aut esse debuit? Crebræ hic reperiuntur anthitheses & repetitiones.

Secunda pars antecedentis, scilicet Virtus militaris probatur rebus gestis Pompeji per distributionem, testimoniis provinciarum confirmatur, amplificatur adjunctis bellorum. Tota hic oratio ampla est & circumducta per varios locos περιστατικοὺς.

Virtus militaris amplificatur per μερισμὸν 1. enim laudat innocentiam *Pompeji*, & amplificat ex loco comparatorum. Comparat enim ejus virtutes cum vitiis Imperatorum oppositis, ut innocentiam ejus cum cœterorum Imperatorum avaritia. Laudat, 2. ejus temperantiam, quam amplificat ex loco Effectorum. è celeritate enim belli confecti argumentatur de ejus temperantia. 3. Cœteras ejus virtutes quasi per prætéritionem & complexionem recenset. Sequitur complexio hujus enthymematis, huic belli directionem esse committendam per figuram interrogationis.

Digitized by Google

§. 17.

Tertia pars antecedentis hæc est. *In Cn. Pompejo* est *Auctoritas.* *E. ille huic bello præficiendus.*

Auctoritas *Cn. Pompeji* probatur multis argumentis:

1. Ex generali fama & omnium hominum opinione.

2. A speciali historia imminutæ per adventum ipsius annonæ, hostium retardatione, urbium, quæ ab ipso deditionem petierint. Enthymema hoc ex Aristotelis locis deducitur, *quod hostes nostri laudant.* Concludit hanc partem Enthymematis iterum per interrogationem. *Et quisquam dubitabit?* &c. Et tandem ultimo ita infert. *Potestis igitur jam constituere, Quirites, hanc auctoritatem.*

§. 18.

Ex his Enthymematibus inter Locos Communes referatur.

1. *Virtutes Imperatoris innocentia, temperantia, celeritas in conficiendo bello.*

2. *Auctoritas Imperatoris apud suos & hostes quantum valeat.*

§. 19.

Antecedentis 4ta pars hoc Enthymemate

mate concluditur: *Pompejus* magna felicitate præditus eſt, E. Imperator eſt eligendus.

Tranſitio aperta eſt: *reliquum eſt, ut de felicitate* &c. Antecedens hujus Enthymematis amplificetur per comparationem cum fortuna aliorum Imperatorum, inſinuatur ſimul ἦθος Oratoris, ne arrogantius de ſe ipſo videatur dicere, ea modeſtia invidiam declinans, & pietatem ſuam declarans. Adjicit complexionem cum ἀνακεφαλαιώσει, qua omnia argumenta pro eligendo hoc Imperatore breviſſime repetantur. Adjicit præterea ad hanc complexionem aliud argumentum ab opportunitate rerum, loci, & temporum deſumtum. Pompejus etiam in illa opportunitate poſitus, ut poſſit bellum hoc gerere E. ipſi committendum eſt, ad quod gerendum vel privatus eſſet deſignandus.

§. 20.

Inter Locos Communes referatur: *Imperatorem felicitate & fortuna ad res gerendas debere eſſe inſtructum.*

§. 21.

Poſt tria hæc propoſitionis capita ſubjicit Cicero confutationem contrariæ ſen-

rentiæ adverſus Quirites, *Catulum* & *Q. Hortenſium*: quorum hic negabat omnia uni tribuenda: ille *Pompejum* ad bella mittendum negabat. 1. Quoniam ipſo nitebatur tota ſpes populi Romani. 2. Quia ſine exemplo fieret ut ad unum omnia deferrentur. Quod ad Q. Hortenſium attinet, primum in genere ita refutat adverſarios, ut accipiant utilia, quæ ipſi fateantur, nimirum bellum hoc grave eſſe & periculoſum, & *Cn. Pompejum* magnum eſſe Imperatorem; ideoque & laudat eorum prudentiam & ſapientiam, quo illos quaſi demulcet, ne amplius obſiſtant.

§ 22.

Hortenſium refutat, qui negabat, uni omnia tribuenda, ex loco inartificiali, præjudicio ſcilicet *Caji Gabinii*, qui de eodem Imperatore adverſus prædones conſtituendo legem promulgaverat, adverſus eandem *Hortenſii* ſententiam. Proponit hoc argumentum omni ornatu oratorio; amplificat ex loco contrariorum, quod factum fuiſſet, ſi lex *Gabinia* non obtinuiſſet, & potius Hortenſii ſententia valuiſſet. Addit graphicam deſcriptionem miſeriæ iſtorum temporum. Amplificat porro iſtas clades comparatione è loco majorum & parium: omnes populi potue-

tuerunt ſecuros præſtare portus ſuos: Romani ante legem Gabiniam non potuerunt 2. Populus Romanos olim eos in obſequio tenere potuit, qui mari univerſo imperitabant. Ante legem vero Gabiniam par prædonibus eſſe non potuit.

§. 23.

Locus communis notetur de ſumma rerum ad unum deferenda. Subnectit huic loco digreſſionem de Aulo Gabinio, quod non miſſus fuerat *Cn. Pompejo* Legatus, cujus rei abſurditatem aliis exemplis refutat, ſuadetque, etiam nunc illum comitem dandum *Pompejo*.

§. 24.

Ad *Q. Catuli* ſententiam reſpondet, quæ hæc erat: 1 *Cn. Pompejo niti totam ſpem populi Romani, ideoque non mittendum:* 2. Eſſe contra exempla Majorum, ut ad unum omnia deferrentur. Ad 1. Reſpondet, accipiendo confeſſionem *Catuli*, quod in Pompejo omnis ſpes Romana poſita ſit. 2. Quod homine uti debeamus, dum floret fortuna & vita.

Ad ſecundum reſpondet, rebus & eventibus accommodanda eſſe conſilia, quoties novi quid acciderit in Republica, toties novis & extraordinariis re-

mediis prospiciendum esse: Probat hoc exemplis: 1 Aliorum. 2 Ipsius *Pompeji*, in quo tot nova jam tum statuta sint. Elegantes figuræ passim insperguntur, subjectionis, ut quæ ad contentionem facit, per figuram repetitionis exempla allegat.

§. 25.

Generatim refutat adversarios, ac simul metum terroremq; illis iucutit, appellando ad judicium populi, quod ipsis Sacro sanctum esse debeat. Loci communes hic notentur: *in rebus periculosis & novis extraordinaria sæpè capienda consilia.* Item: *Viri unius auctoritas in bello efficaciter gerendo plus prodest, quam multorum consilia.*

§. 26.

Huic confutationi subjungit quasi per repetitionem alia quædam argumenta, quæ jam tum supra in medium produxerat; mittendum scilicet esse in Asiam Pompejum ob singularem ejus continentiam, amorem Asiaticorum erga illum & odium erga alios, quorum avaritiam graphicè describit. Subjungit figuram communicationis, qua ipsis adversariis hanc rem expendendam relinquit.

§. 28.

Concludit tandem hanc refutationem Apo-

Apoſtrophe ad populum, quem adhortatur, ut reclamante etiam *Catulo* & *Hortenſio*, uni Pompejo omnia deferant. Et quoniam populus auctoritatibus regitur, duobus illis tot aliorum clariſſimorum ſenatorum opponit ſententias. Locus communis elegans hic *de continentia & innocentia Imperatoris*. quod avari Imperatores populi animos à ſe abalienent, neque feliciter rem gerere poſſint.

§. 28.

His omnibus tandem ſubjicitur Peroratio ad *Manilium* concepta, qua ipſum hortatur, ut in ſententia ſua permaneat, legemque ejus laudat. pollicetur dehinc operam ſuam pro *lege Manilia*, ita ut argumenta ethica paſſim inſpergat, oſtendendo amorem ſuum erga Rempublicam animique conſtantiam adverſus invidiam. Brevis eſt illa, & quoniam in contentione validioribus argumentis pugnavit, in fine orationis leniter rem agendam eſſe exiſtimavit.

§. 29.

Atque hæc nobis notanda viſa fuere ex oratione *pro Lege Manilia*. quæ ſi quis imitando in ſuum uſum convertere velit: argumentum totius orationis conſideret, in

quo

Digitized by Google

quo verſetur. illi ſimile aliquod excogitandum eſt, ut ſi apud *Ciceronem* theſis eſt *de bello Aſiatico decernendo & Imperatore ipſi conſtituendo Pompejo:* ſimili ratione aliud Thema inſtituamus. exempli gratia. *De bello adverſus Turcas continuando,* & quis *ipſi Imperator ſit conſtituendus.* Enthymemata pene eadem hic poſſunt adhiberi, mutatis tamen iis circumſtantiis, quæ neceſſario mutandæ ſunt, ex hiſtoria ipſius belli. Atque ita totius orationis argumentum imitando exprimere poſſimus. Poſſunt etiam imitationes per partes inſtitui, ut, ſi altera orationis hujus pars, quæ hoc eſt; de Imperatore eligendo, applicetur ad Thema aliquod de Præſide, de Magiſtratu, de Epiſcopo, de Rege &c. eligendo. Ac ſi nolis forma illa rem proponere: poteſt vel ſub gratiarum actionis, vel ſub gratulationis, vel ſub cujuſcunque encomiaſtici forma talis laudatio inſtitui. Laudatur hic Imperator Pompejus â quatuor virtutibus primariis, ita ut demonſtretur, ſummum illum & excellentiſſimum eſſe; laudabis itaque Tu Regem vel Magiſtratum, virum doctum & alium quemcunque non iisdem ſed aliis virtutibus, iisdem figuris, eodem tenore argumentorum, iisdem formulis retentis, ſed mutato verborum habitu. Nam ſi verba ipſa

re-

retineamus: puerilis erit, non viro digna imitatio. Similiter prima orationis pars, quæ agit de bello gerendo, applicari poteſt ad rem quamcunquam aliam, quæ cadere in deliberationem poteſt, ad quam ſuadendam adhiberi debeat argumentum extremæ neceſſitatis. Hoc enim præcipue hic utitur Cicero, & hoc per varias rerum & factorum circumſtantias amplificat. Sic plane in contrariam theſin vertere poteris, pacem eſſe faciendam cum Turca, ut hoc conficias: urgebis periculum machinationum Gallicarum, unde ex Hiſtoria plurima excerpere poteris, quæ amplificare poterunt periculum belli inteſtini, enumeratis omnibus circumſtantiis. Valebunt itaque hic omnia argumenta, quod agatur. (1) Gloria Germani nominis (2) Quod Socii eripiendi ſint è periculis. (3) Quod vectigalia detrimentum capiant. (4) Quod fortunæ tot civium, & tot Imperii ſtatuum agentur. Minores quædam orationis hujus partes, ut cum agitur de auctoritate, de felicitate Imperatoris, illæ mutatis mutandis ad virtutes & excellentiam viri docti, pii Eccleſiaſtæ, boni præfecti, & cœterorum applicari poſſunt. Quatuor enim illæ virtutes, ſcientia, Virtus, autoritas, & felicitas ad quemcunque Virum inſignem, qui in munere publico vivit, & judiciali auctoritate

Digitized by Google

te pollet, transferri possunt. Theoriam enim & praxin, quæ duo omnia absolvunt, *proponunt.*

CAP. VI.

DE

IMITATIONE POËTICA.

§. I.

Non sunt aliæ Poëticæ Imitationis leges, quam oratoriæ, modo genium dictionis observes, omniaque illa, quibus ab oratoria illa discrepat, neque sunt frequentiora imitationis exempla, quam apud ipsos Poëtas veteres: in quibus alter alterum presso pede imitatur. Quemadmodum scilicet Cicero ex Demosthenis orationibus in suum usum vertit, tum figuras, tum formulas, tum ipsa enthymemata, ut conferenti patebit: Ita veteres latini Poëtæ, græcos imitati sunt, quod in Virgilio, Horatio aliisque patet. Et Virgilius quidem adeo pressè Græcos imitatus est,

est, ut nonnunquam integros versus è græcis in latinum converterit, ex Ennio quoque sæpe retinuerit. Nam qui ante se fuerunt, latinos Poëtas, Virgilius imitatus est, ut Virgilium imitati sunt posteriores. Imitationes ipsius è Græcis diligenter satis notavit *Fulvius Ursinus*, & *Valentinus Grellius* Commentario in Virgilii opera, quæ loca diligenter notanda sunt, cum imitationis artificium singulari ratione ob oculos ponant. Reperiuntur apud illum vestigia Homeri, Hesiodi, Theocriti, è cujus Idylliis Eclogas suas expressit, quas imitationes nemo luculentius ostendit, quam *Rapinus* in dissertatione de carmine pastorali: ubi Theocriti Idyllia passim cum eclogis Virgilianis confert, ostenditque quibus ille vincat, quibus vincatur. In universum tamen omnia illa, quæ apud Virgilium transsumta sunt, vivis magis coloribus ac majori ingenio & judicio sunt expressa, quam apud auctores ipsos, quorum πρωτοτύπῳ usus est, ut longo post se intervallo illos relinquat. Quod in Homericis fragmentis ita manifestum est; ut nemo, cui sanum modo sinciput est, negaturus sit. Si quis ea de re dubitet: hypercriticum *Julium Cæsarem Scaligerum* adeat, ubi tot ejus rei exempla proponuntur, ut veritas per se pateat.

§. 2. Imi-

§. 2.

Imitationes poëticæ iisdem Locis dialecticis constant, quibus imitationes oratoriæ. Nam quod simpliciter alibi dicitur, alibi fusius ampliatur ex locis illis, atque ita sermo instituitur, ut vix dijudicare possis, an imitatione, an verum inventione propria, carmen hoc scriptum sit. Notissimi & celebratissimi modi sunt. (1) Quando enunciationem generalem per μεϱισμον in multas speciales commuto, mutatis & multiplicatis subjectis & prædicatis. (2) Quando sententia aliqua, totum aliquod comprehendens, per enumerationem partium amplificatur. (3) Quando sententia confusa & obscura, ratione temporum, locorum, personarum, factorum, causarum, circumstantiarum, per alias clariores sententias explicatur. (4) Quando indefinita sententia per definitam explicatur. (5) Quando sententia per antecedentia & consequentia amplificatur. (6) Quando sententia per Adjuncta amplificatur. (7) Quando circumstantiæ temporis, modi, causarum, personarum adjiciuntur. (8) Quando enunciatio simplex per figuras rhetoricas effertur. (9) Quando una enunciatio, quæ potestate mul-

multiplex eſt, in plures periodos vel enunciationes, multiplicatis ſubjectis & prædicatis convertitur.

§. 3.

Et hi pene modi ſunt, quibus imitatio Poëtica conſtat, ut vel ſexcentis exemplis probari poteſt. Illuſtriora ſunt, quæ ex ipſis vetuſtis Poëtis deſumuntur, exempla, & hæc inter præcipuum, quod ſuppeditat nobis Horatius Epoda 2. quæ agit de laudibus vitæ ruſticæ, qua Locum communem Virgilianum eundem ſub finem lib. 2. Georgicorum ita expreſſit, ut non poſſit elegantius exprimi. Totam illam imitationem vivis coloribus ob oculos poſuit *Bernhardinus Parthenius Spielenbergius* commentario in illam odam Horatianam. Quod ſi paraphraſin hujus Odæ à *Jacobo Wallio* Heroico carmine ſcriptam, cum illa Oda contuleris, aliud exemplum &, me quidem judice, longe excellentioris imitationis conſpicies. adeo enim figuris ſententiarum, dictionis, amplificationibus è Locis Dialecticis ſententias variat, ut, ſi quis carmen hoc ſeorſim legat, ex Horatio deſumtum vix ſuſpicari poſſit. Ceteræ quoque paraphra-

ſes aliarum Horatii odarum apud Wallium & Carolum de la Rüe in poëmatibus ſüis optimo jure imitationis titulum merentur, omniumque rectiſſime quis faciet, ſi quis talia exempla ſibi ob oculos ponat.

§. 4.

Si quis Virgilianam imitationem velit: non illuſtrius exemplum poteſt dari, quam quod Virgilius habet Lib. 4. Æneid. à v. 305. ubi, interjectis aliis, *tam Hiſtoria quam Dialogiſmis* querelam Ariadnæ à Theſeo deſertæ, quæ habetur apud Catullum in Epithalamio Pelii & Thetidos pene omnem tranſtulit, ita ut enthymemata ſententias & figuras quoque retineret, verba & periodos mutaret. Querela Didonis ab Ænea deſertæ, plane conveniebat cum hoc argumento, ut eleganter notavit Bartholomæus Riccius lib. 2. de imitatione pag. 42 & ſeqq. Ariadne apud Catullum ſtatim ab affectu iracundiæ incipit v. 132. Siccine me patriis - - Theſen. Reſpondent verſus Virgiliani 305. 306. Ariadne huic indignationi inſiſtit verſu 135 usque ad 140. Virgilius pauciorībus verſibus idem objicit Æneæ verſu

ſu 307. 308. Addit autem Dido argumentum a periculo. Virgilius v. 9. 10. 11. addit argumentum à loco incerto, quo appulſurus ſit, vers. 311. 312. 313. quæ argumenta à Catullo omiſſa ſunt, quoniam non conveniebant. Dido apud Virgilium rurſus ſe ad preces & lacrymas convertit, & cum Ariadne pactos hymenæos objicit: Dido per eos ipſos Æneam rogat, ac horum voluptate eum artificiosè tentat. Meritum quoque objicit, quæ pleraque apud Catullum, quanquam non illo ordine v. 314. 315. 319. Sequitur apud Catullum Locus communis de perfidia Virorum v. 141. usque 146. quem locum communem brevi ſententia complexus eſt Virgilius, ſed loco alio v. 373. Nusquam tuta fides: Poſt perfidiam objectam Ariadne ingratum ſuum animum accuſat, & nominatim præſtita officia exprobrat Catullus v. 147. usque 151. Id quod Virgilius expreſſit v. 373. 375. Ubi Ariadne fratris mortem, quam amatoris ſe maluiſſe dicit, ac pro tanta in eum fide ſe relictum eſſe avibus ferisque dilacerandam queritur. Dido Nomadum Regem ac Tyriæ gentis in ſe odium, deinde pudicitiæ violatum nomen, poſtremo mortem ipſam adjicit, Virgil. v. 320. 323. Apud Catullum Ariadne Theſeo objicit crudeles Natales v. 152. 155. I-

dem imitatur Virgilius v. 365. 367. Hactenus per negationes processit Virgilius, cum Catullus per interrogationes: jam etiam interrogationibus utitur Virgilius v. 368. 370. Apud Catullum Ariadna conqueritur, suum jam longe fugam arripuisse v. 165. Idem facit apud Virgilium Dido v. 582. 583. Apud Catullum Ariadna optat nunquam advenisse Thesea v. 167. 172. Dido id ipsum imitatur v. 657 & 658. Catullus Ariadnam desperabundam inducit v. 173 -- 183. Idem Dido apud Virgilium v. 544. usque 547. Catullus tandem Ariadnen ad diras & execrationes perducit 184 -- Hunc locum Virgilius copiosissime atque splendidissime imitatus est, Apostrophen faciens ad Solem & Hecaten, variasque execrationes adjiciens v. 617. 626.


§. 5.

Patet ex illis, quae adduximus, quae Virgilio fuerit in imitando ratio: adeo presso enim pede secutus est Catullum, ut harum literarum imperitum esse oporteat, qui haec non sentiat. Mutavit interim ordinem, quem Catullus observavit, & Dialogismis cum ANNA Sorore inter-


terjectis, fusius traxit orationem Didonis. In Historia quoque recensenda largior est Virgilius, sed ita ille expressit Catullum, ut qui Catulliana, post hæc Virgiliana legat, jam non inveniat, quod ipsi magnopere placeat, ille enim adjectione figurarum vivacium, argumentorum patheticorum, dictione quoque ipsa, quæ horridior paululum est apud Catullum, adeo omnes numeros absolvit, ut vix ab humano ingenio aliquid addi posse videatur. Tenenda itaque hæc imitandi via est, atque semper ob oculos ponenda, quæ ita his exemplis illustratur, ut instar multorum esse possint.

Nos his Lectionibus finem imponimus, &, si quæ restare videntur, usu & exercitio supplenda esse existimamus.


Tantum.



Digitized by Google



Digitized by Google



A.

N Jo.

Bo-

Digitized by Google

Com-

D.

E.

F.

Fi-

Digitized by Google

H.

I.

Justi-

Digitized by Google

Ma-
Digitized by Google

Ejus

Res-

R.

S.

Scri-

Sti-

Tibul-





Digitized by Google